

73.

JUS ET OBLIGATIO PROHIBITIONEM LIBRORUM

POSITIVAM CONCERNENS

DISSERTATIONE INAUGURALI JURIDICA
EXPOSITA,

CUM SUBJUNCTIS EX UNIVERSO JURE COROLLARIIS,
QUAM
AUSPICE

DEO TER OPT. MAX.

ANNUENTE INCLYTO SENATU JURIDICO,
IN ALMA JULIO-DUCALI WIRCEBURGENSII UNIVERSITATE,

P R A E S I D E

PRAENOBILI CLARISSIMO ET CONSULTISSIMO VIRO
AC DOMINO,

D. JOSEPHO MARIA SCHNEIDT,

J. U. D. REVERENDISS. AC CELSISS. S. R. I. PRINC. ET EPISCOP. BAMB.
ET WIRCEB. FRANCIAE ORIENTALIS DUCIS &c. NEC NON FULDENSIS
CONSILIARIO AULICO, IN HUJATE UNIVERSITATE PANDECTARUM

ET JURIS FRANCONICI PROFESSORE PUBLICO,

PRO SUPREMA DOCTORATUS IN U. J. LAUREA

PUBLICAE DISQUISITIONI SUBMITTIT,

TRIBUS RIGOROSIS EXAMINIBUS RITE TENTATUS ET APPROBATUS,

WENCESLAUS STROBEL, Zeuzlebensis,


Ss. THEOL. BACCAL. REVERENDISS. ET CELSISS. EPISCOPI PRINCIPIS SACELLANUS
AULICUS ET PERILLISTR. DD. EPHEB. AUL REPETITOR.

AUTHOR ET RESPONDENS

IN AUDITORIO JURIDICO

Die XIX. Decembris MDCCLXVIII. horis ante & post meridiem consuetis.

Typis FRANCISCI ERNESTI NITRIBITT, Universitatis Typographi.



REVERENDISSIMO
ET
CELSISSIMO
S. R. I. PRINCIPI
AC DOMINO
D. ADAMO
FRIDERICO,
DEI GRATIA
EPISCOPO BAMBERGENSI
ET
WIRCEBURGENSI,
FRANCIAE ORIENTALIS DUCI
&c. &c.
*DOMINO, DOMINO MEO
CLEMENTISSIMO.*

ОЧЕЗГІСКИЙ ЯМЕНІЯ

ОЧЕЗГІСКИЙ ЯМЕНІЯ

ІСІДОРІЯНІЯ .3

ІСІДОРІЯНІЯ

ОМАДА .d

ОМАДА .d

ОМАДА .d

ОМАДА .d

ОМАДА .d

REVERENDISSIME
ET
CELSISSIME
S. R. I. PRINCEPS,
DOMINE DOMINE
CLEMENTISSIME!

Vidi, numeravi & consideravi (*pro viribus meis*)
attentius felicissima Juventa, producta monu-
menta & opera, quæ bellarum Artium, æstheti-
carum æquè ac sublimiorum scientiarum Secta-
tores **TIBI REVERENDISSIME & CELSISSIME**
PRINCEPS! *omnium suo Fautori, Protectori & Me-*
cet-

cœnati mutua æmulatione sacrificantes intrâ annos glorio-
fissimi regiminis TUI ad Principale solium proni deposue-
runt; vidi inter cætera oblata TIBI producta Clientum
almæ Picturæ, hinc & TUORUM, in quorum altero illece-
brosa Harmonia colorum, in altero facunda delineato-
rum objectorum veritas, in altero ingeniosa Inventio aut
inimpedita Coordinatio, in altero demum Risus idealis
Gratiæ suaviter triumphabat; vidi Opera Architectu-
ræ, hincque renascentem nobilem simplicitatem Palatio-
rum Romanorum, illinc ornamenta gratosissima Cor-
inthiæ, hinc fideles Imitationes Reliquiarum æstima-
tissimarum antiquæ Græciæ, illinc collectas Gustus no-
vioris Gratias:

Amici Heliconis deliciosos Florum Patriæ suæ Fas-
ciculos TIBI colegerunt, si non eandem redoluere Odo-
rum Fragrantiam, ac Arva Balsamica climatum vicino-
rum, scimus effluvia montis non eundem ubique Influi-
xum habere; adhæc Eloquentia tam sacra quam profa-
na Defectum hunc (quis est) abundè compensavit: ge-
nuit enim hæc Mater æstheticæ in sinu Territorii TUI
& CELSISSIMO NOMINI TUO inscriptas Pane-
gyres ob nitorem stili, verborum selectum, & novita-
tem cogitatuum invidendas: genuit æmulos ob solidita-
tem Ciceronianis & Demosthenicis Discursus Academi-
cos: genuit Orationes sacras consummatis celeberrimo-
rum Prædicatorum operibus ex omni parte parallelas.
Et licet hæc multa sint, omnia non sunt: adjecerunt
sunt

Super Altare communis oblationis opera Pragmatica Historici: adjecerunt solidissima & amenissima inventa Philosophi: adjecerunt profundissimas sacræ Fidei & christiane Moralis Expositiones Theologi: & indefessi Jurium Patriæ & TUORUM Defensores immortales legum nostrarum Commentarios adjecerunt. Hæc vidi, numeravi, & obstupui multitudinem: consideravi, & miratus sum Perfectionis gradum, ad quem ferè cunctæ Eruditionis universæ Partes sub unius REVERENDISSIMAE CELSITUDINIS TUAE Auspiciis, Vigiliantia, Ordinationibus & Munificentia ascenderunt: consideravi attentiū, & lætatus sum valde, videns, quām sapienter diversi hi operarii ad TE SAPIENTISSIMUM PRINCIPEM velut ad Centrum suum Radii concurrent, ut TU, qui omnium Scientiarum & Artium utilitatem excelsa mente intueris, subsidiarias eorum operas ad communem Gregis TIBI concorditi Felicitatem dispendas.

Consideravi & exarsi innocuā (ut puto) zelosiam, & meam partem dirigente Clementissimā voluntate TUĀ, quam ut sanctam & voluntatis divinæ interpretem semper veneratus sum, ad commune bonum conferendi: exarsi, & viā Jurisprudentiæ, cui circumstantiæ & Gratiostissimum Beneplacitum TUUM me destinasse videbantur, incessi, hac emensa ad manifestandum TIBI, quo in Generē Reipublicæ forte utilis esse possem, Expositionem Materiæ Juridicæ suscepi, & ecce præsens emersit opellum;

lum: consideravi & hoc, imò s̄epiñs reconsidervi, &
h̄esi, utrum dignum foret, me recensitæ offerentium
turmæ immiscere, & donum adeo exiguum sceleto ana-
atomico potiūs quām operi elaborato simile ad Pedes TUOS
deponere, dum h̄ic nec Amænitas colorum, nec dulcis
Harmonia, nec Fragrantia cogitationum, nec Lenocinia
Eloquentie regnant; adhæc Methodum naturā propè
siccā & pluribus Novitate sua jam odiosam selegi; non
unā ergo ex causā diutiūs h̄esi, ne opus adeo imperfe-
ctum Conspectui TUO s̄isterem; verū succrevit Spes &
Animus pensanti mihi, quōd, cùm Anatomici non pul-
chra & harmoniosa, sed vera exhibendo placere subin-
possint, etiam siccās, attamen ordinate concatenatedas
bas veritates Librorum Prohibitionem concernentes non
planè rejecturus, & fortè Methodum, quæ ex præjudi-
cio falso nonnisi ignorantibus eam odiosa esse potest, TU,
qui h̄ec Præjudicia vetustatis nunquam protegere con-
sueisti, gratioſissimā TUA Approbatione justificaturus
sis. Audeo igitur præsentes Paginas TIBI demississimè
dedicare, & sub Inscriptione GLORIOSISSIMI NO-
MINIS TUI publicæ luci tradere, nunquam ausus, niſi
ex Clementissimā Concessione TUA.

Elevabitur exilitas mineris Celsitudine acceptan-
tis, & quod ipsi deest pretium, à Principali Gratia,
quā & eruditos & erudiendos protegis, mutuabitur. Si
tamen h̄ic nihil in Conspectu TUO acceptabile invenire-
tur, Intentionem saltem purissimam scribentis, affectum
de-

devotissimum offerentis, & vota ardentissima respice,
in qua pro incolumitate & diuturnitate vitæ, pro aug-
mento virium & immortalis Gloriæ, pro Gloriosissimi
Regiminis non interrupta Felicitate, ac demum pro om-
nium cœlestium Gratiarum Ubertate desinit

REVERENDISSIMAE
CELSITUDINIS
TUAE

Servus infimus, devotissimus ac obsequentissimus
Wenceslaus Strobel.




PRÆSES
ADMODUM REVERENDO AC DOCTISSIMO
DOMINO LICENTIANDO.

Si ARISTOTELE (*a*) teste scire est, cognoscere causam, propter quam res est, eandem esse rei causam, nec posse eam aliter se habere, summo cum fundamento Te multum & multa scire, afferere possum. Demonstrat hoc nitida Tua & solida Dissertatio, demonstrant subjuncta Collaria, demonstrat scribendi novior methodus; quæ omnia Te Philosophum subtilem, Jurisperitum gravem, Theologum tam naturalem quam positivum esse abunde docent. Supersedeo ergo ulteriori laudis Tuæ expositioni, & hoc unicum dico, quod rerum essentiam & naturam rimando tantam acquisieris scientiam, ut Tibide hac obtenta, moxque obtainenda illius Laurea animitus aggratulari, certamque Tibi spem excitare possim, CELSISSIMUM NOSTRUM SCIENTIARUM MOECENATEM hunc Tuum laborem, hæcce Tua studia pro meritis esse remuneraturum; quod dum sincero cordis affectu exopto, simul etiam declaro, me Tibi semper specialis amicitiae nexu fore obstrictum. Vale.

Dabam in Musæo 12ma Decembris 1768.

(*a*) Posterior. Analyt. Lib. I. Cap. III. n. 1.



PRÆFATIO.

Sunt quidem propè infinita vastissimæ Jurisprudencie Objecta, atramen ea, quæ momenti cujusdam videri poterant (si particularissima excipias) per sedulam Juris - Consultorum operam jam tractata & retractata fuerunt ; Hinc Tyroni maximè , cui particularem quandam Dissertationem non describere ex aliis , sed propriis (quantum fas est) viribus elaborare animo est , etiam inter tot & tanta difficultis aliquantum optio videtur ; optandum tamen erat mihi , dum Consuetudini Universitatis hujus satisfacere cogitabam , præsentem igitur de Jure & Obligatione prohibitionem Librorum positivam concernente materiam selegi : Etiam hæc nova non est , & à pluribus jam examinata (a); attamen pro temporum nostrorum circumstantiis novâ Consideratione non indigna , si verum est , quod Experienciam abundanter discimus , prohibitionem ejusmodi ab aliquibus pa-

A

rùm

(a) Vid. BOEHMER. J. E. P. Tit. de hæret.



rūm respici, aut planè contemni, aliis econtrariò an-
sam vani timoris & scrupulorum' esse; pars eorum
eò libentiùs perlegit Scripta, quò sunt prohibita ma-
gis, fertürque singulari quādam curiositate, myste-
ria per similes prohibitiones iustè (ut̄ creditur)
sibi abscondita pervestigandi: adeò quippè verum est:

Nitimus in vetitum semper cupimúsque negata.

Atque hoc etiam adeò efficaciter verum est, ut
non exiguum in ipsa Librariorum commercia influ-
xum habeat; Sæpiissimè enim eorum impressorum
plurima videmus Exemplaria, quæ vel prohibita sunt,
vel probabiliter prohibenda; divites se credunt,
quibus libri hujus sortis impressio commissa est.
Imò eò quorundam progreditur astutia, ut, si eti-
am intacta aliàs manerent Viri erudití Scripta, ipsi
de conciliando quodam contra illa odio, movendâ-
que super periculose aliquatenus tenorem suspicio-
ne solliciti sint, confidentes, se per mercaturam ini-
quitatis obtenturos, quod sinè hac sperare non licet.

Sed quantum est excessus ex unâ, tantum est de-
fectus ex alterâ parte; alii enim ob timorem prohi-
bitionis, ubi talis non est, utilissimorum, imò subin-
de ad acquirendam Scientiam solidam indispensabi-
liter

liter necessariorum Librorum lectionem omittunt, sub
prætextu Religionis ignorantiam amant, & in scrupulis suis cōmodam ignorantiae suæ excusationem
quærunt.

Hæc cūm ita sint, operæ pretium esse non dubitavi, præfatam materiem paulò accuratiùs exponere: utile esse duxi, si illæ veritates publico noviter submitterentur, quæ, quia jam antiquæ sunt, contemtui & oblivioni se saltem approximare videntur. Utrum hic & nunc ad veritatum istarum confirmationem vel illustrationem aut faciliorem earum cognitionem quid ex meo attulerim, de hoc benevolus Lector judicabit.

Mihi perinde est, an à me, an ab aliis veritates istæ, earumque rationes detectæ & propositæ dicantur, dummodo finem meum attingam, dummodo ad communem felicitatem vel parum conferam. Hoc ut fiat, I^{ma} Juris Librorum prohibitionem positivam concernentis Fundamenta, Extensionem & Limites, 2^{da} Obligationis inde venientis mensuram determinabo, si illi, quorum jus hic examinatur, inde cognoscere possint, quod in exercitio potestatis suæ vel nimis rigidi, vel tepidi sint, si subditis debitam Legibus Librorum prohibitivis aestimationem & re-

verentiam inspiravero, si eos, qui circa obligationem sibi inde resultantem vel ignorantes vel dubii sunt, desuper certos reddidero, finem meum satis feliciter consecutus sum.

Ut ordinatè procedam, totam materiam in tres Sectiones dividam: In prima Generalia de Libris, in quantum hæc ad intelligentiam subsequentium quid conferre poterunt, præmittam: In secunda de Jure Libros lege positivâ prohibendi: In tertia de obligatione ex prohibitione eorum positiva proveniente pro viribus tractare conabor.

Si fortè Regulas methodi, quam amplexus sum, non satis pressè secutus fuero, discipulum me in hoc genere sinè Magistro, si materiam pro sua dignitate, aut juxta Beneplacitum tuum B. L. non exhausero, exercitationem istam laborem Tyronis esse cogita. Sic vale & fave labori.



CON-

CONSPECTUS
DISSERTATIONIS.

TOTA DISSERTATIO IN TRES SECTIONES
DIVIDITUR.

SECTIO

I. Complebitur Generalia de Libris, quae sunt

- | | | |
|------------------|---|-----------|
| 1. Origo | } | Librorum. |
| 2. Definitio | | |
| 3. Divisio eorum | | |

Sunt autem diversi

A. ratione objecti, & sic

a. Sacri, & hi vel	}	atheistici idololatrici deistici judaici mahometani aliorum gentilium tales.	vel ex toto vel ex parte.
a. de fidei			
tractantes,			
qui			

b. de moribus, ædificantes			

b. Profani, quorum species sunt			

I. privata concernentes, qui sunt vel			

SECTIO
L

II. Rempublicam concernen-
tes, qui ulterius sunt vel

Machiavellistici,
Monorchomachisti-
ci,
in Superiorem inju-
riosi,
tales non.

B. ratione formæ intrinsecæ, { benè { confusi,
sunt enim scripti vel { male } & h[ab]i vel { obscuri,
infidelis, { non solidi

C. ratione auctoris, { nominati { heretici, &c.
& sic vel { non talis { innominati, qui vel { anonymi
{ pseudonymi

4. Finis Librorum vel { bonus
malus.

5. Influxus in actiones hominum vel { utilis
noxius.

SECTIO

II. Continet ea, quæ Jus prohibitionis Librorum positivæ con-
cernunt, ubi obveniunt.

1. Definitio hujus Juris

2. Divisio ejusdem; potest enim hoc Jus diversum esse

A. ratione actio- { impressionem
nis, quæ circa { Libros prohibendi { divulgationem { Libro-
betur, & sic est { retentionem { rum
B. ratione extensionis suæ, { universalis
& sic est vel { Jus prohibitionis { particularis
{ singulare,

3. Varia huic Juri annexa, quæ sunt

a. censura
b. affixio { Librorum.

SECTIO
II.

3. pœna prohibitioni eorum adjici solita, quæ est
- | | |
|-----------------------------------|----------------------|
| 1. spiritualis, ut excommunicatio | [cōfiscatio] |
| 2. temporalis, ut [combustio] | Librorum |
| | pœna peccuniaria &c. |
4. Affinia [occultatio] Librorum.
[expurgatio]
5. Stabiliuntur principia, ex quibus Jus Libros prohibendi cum suis annexis deducitur, sunt autem
- | | |
|--------------------------------|--|
| A. generalia. | |
| B. specialia, & haec quidem | |
| a. Reipublicæ sacræ propria | |
| b. Reipublicæ profanæ propria | |
| c. Utrique Reipublicæ communia | |
6. Principia posita ad obiectum applicantur per varia theorematum; Libri enim nocere possunt
- | | |
|------------------|---------------------|
| a. ex natura sua | [scribentis. |
| b. ex accidente | [personæ [legentis. |
| | temporis |
| | loci. |
7. Pro Jure prædictos Libras Lege positivâ prohibendi, & prohibiciones per media proportionata exequendi concluditur.
8. Determinatur Subjectum, cui Jus, Libros prohibendi competit; est autem aliud
- | | |
|-------------------------------|------------------------|
| A. pro Libris sacris | 1. Jure proprio. |
| | 2. Jure advocatiæ. |
| B. pro - - profanis, & quidem | 1. in Germania nostra. |
| | 2. in aliis Regnis. |

SECTIO
II.

19. Actuale hujus Juris Exercitium consideratur, &
 I. Definitio hujus Exercitii determinatur,
 II. Observatur, quid in usu fuerit
- | | | |
|---------------------------|---------------------------------|------------------------------|
| { a. extra Ecclesiam, ubi | { 1. occultatio
2. combustio | Librorum, |
| | | b. intra Ecclesiam, & quidem |
- | | | |
|----------------------------|-------------------------|--|
| { 1. à Sæc. I. ad Sæc. 16. | Occultatio
Combustio | Libroum. |
| | | Declaraciones Conciliorum
Decreta Pontificum
Ordinationes Episcoporum
Constitutiones Imperatorum. |
- | | | |
|-----|--|---|
| ubi | { 1. à Sæc. I. ad Sæc. 16.
2. à Sæc. 16. ad nostra tempora, hincque invenimus | Actus Congregationis S.
Officii, &
Inquisitionis. |
| | | |
- a. Recessus Imperii.
 b. Constructionem Catalogi PHILIPPI II.
 c. - - - PAULI IV.
 d. - - - PI VI. sive Indi-
cis Tridentini.
 e. Decreta Congregationis Indicis.
 f. Decreta Inquisitionum.
 g. Catalogum SIXTI V.
 h. - - - CLEMENTIS VIII.
 i. - - - INNOC. XI. ejusque appendicem.
 k. - - - BENEDICTI XIV.

SECTIO
II.

- I. Catalogum Commissionis Aulicæ Viennens.
- [m. Ordinationes alias magis particulares,
- III. Statuuntur Regulæ, ad quas hoc Exercitium dirigi, justum videtur.

SECTIO
III.

III. De Obligatione ex prohibitione Librorum positiva veniente, hic occurunt

- 1. Definitio hujus Obligationis in specie.
- 2. Acquisitio ejusdem, ubi
 - A. Considerantur varia ad hanc acquisitionem facienda
 - requisita, quæ sunt
 - a. praesentia Legis actualiter prohibentis
 - b. legitima ejusdem cognitio, quæ sit
 - 1. Promulgatione vel propria.
 - impropria.
 - 2. Receptione expressa.
 - tacita.
 - B. Determinatur, an ex hac vel illa Lege acquiratur, & an ex suprà memoratis aliqua acquisita sit Obligatio
 - (a.) in Germania.
 - (b.) alibi.
- 3. Divisio ejusdem, ubi
 - A. Expenduntur singulæ Obligationis hujus species, est enim diversa
 - a. Ratione Actionis omittendæ, siveque
 - Obligatio impressionis
 - divulgationis
 - retentionis
 - lectionis
 - B. omittendæ.

SECTIO
III.

- b. Ratione extensionis suæ, sicutque vel funiversalis
particularis
singularis.
- c. Ratione durationis, sicutque temporaria
perpetua.
- d. Ratione adjectæ qualitatis, & sic sub culpa
vel sub pœna
sub utraque simul.
- B. Determinatur, quænam Obligationis species ex hac vel illa Lege prohibitoria acquiratur, & præcipue ex supra dictis acquisita sit
 - a.) in Germania,
 - (b.) alibi.
- 4. Amissio hujus Obligationis quæ sit
 - a. Casu, sic I. implemento conditionis prohibitioni
 - que vel adjectæ
 - 2. mutatione circumstantiarum
 - 3. cessante ratione prohibi- respectu omnium
 - tionis vel
 - aliquorum.
 - b. Volun- revocatione expressa
 - tate alicu- consuetudinis contrariæ introducione
 - jus sicutque dispensatione, generali utrâque ad tempus
 - eâque vel [restrictâ] vel in perpetuum
 - 5. Conclusio Dissertationis

SECTIO



SECTIO I.
DE LIBRIS IN GENERE.
DE ORIGINE LIBRORUM.

§. I.

C reavit Deus hominem , deditque creaturæ suæ' mul-
tiplices facultates Corporis & Animæ, tam ad gloriam
suam extrinsecam, quam felicitatem hominis promo-
vendam.

§. II.

A nima inter facultates cæteras (omnes enim hic enumerare
pro ratione instituti superfluum foret) dotata est intelle-

B 2

Etū & Memoriā : illo quidem, ut universi hujus objecta contemplari, eorum perfectiones, finem, utilitatem, variásque cum illis connexas veritates cognoscere, hāc autem, ut cognitiones semel habitas (quarum perceptio iterum perire solet) denuō producere posset.

SCHOL. Facultates istae, utūt in se perfectae sint, finitae tamen sunt ; hinc nunquam eadem anima omnia cognoscibilia cognovit, aut pro lubitu in memoriam revocavit : Cognitiones paucæ, quæ vires animæ non excedunt, nonnisi laboriosa applicatione acquiruntur, & inter has etiam multæ imperfæctæ, multæ solùm apparentes deprehenduntur : plures. animæ plura, eaque perfectius cognoscere & facilius memoriā retinere possunt ; at tamen fateri necesse est, plura à cunctis, qui hactenus extirrē, hominibus ignorata semper fuisse, quam cognita, intellectui etiam fortissimo multa sub ænigmate se sistunt, memoriae etiam felicissimæ aliqua subinde elabuntur : adeò multæ quippe sunt cognitiones possibles, adeo perfectiones multarum acquilicu difficultes, & insuper ad debilitatem facultatum brevitas dierum hominis accedit.

§. III.

Per cognitiones aut ab intellectu productas, aut à memoria reproductas homo jam usque ad suum & cæterarum rerum Creatorem affurgit, sapientiam ejus admiratur, potentiam adorat, omnésque Perfectiones infinitas finitarum perfectionum agenitrices ad mensuram virium sibi concessarum numerat, & laudat; jam vero continuis, quibus vita humana repleta est, miseriis & necessitatibus remedium exinde querit, utilitates cognitas sibi applicat, ex aliis sustentationem, ex aliis Commoditates Se-

securitatem &c. ex aliis consequitur. Cùm igitur gloria Dei in majore summarum ejus perfectionum agnitione consistat, felicitas nostra autem in tantum crescat, in quantum miseriæ nostræ removentur, necessitatibus & indigentias subvenitur, consequens est, quòd per Cognitiones nostras ad utrumque finem à Deo intentum (vid. §. I.) plurimum conferatur, sínè Cognitionibus cæteræ facultates nostræ vix non planè inutiles essent.

COROLLARIUM. Quò plures, quò perfectiores, quò magis extensæ, in quò pluribus sunt cognitiones nostræ, quò facilius eas reproducimus, hòc magis, hòc facilius & gloria Dei & felicitas hominis promoveri potest, ac is, qui plurimas & quantum homini possibile est, perfectissimas cognitiones, qui maximam eas reproducendi facilitatem possideret, is ad consecutionem duplicitis hujus finis aptissimus esset.

SCHOLION. Insurrexerunt quidem nostris præcipue temporibus quidam patroni ignorantiae, & ejus tutelam contra plures saltem cognitiones, quibus sæculum nostrum inhiat, in se suscepserunt: interim paucos admodum usque hodie numerant profectos; quamvis negari non possit, talibus sœpè subtilitatibus potentiam hominis cognoscitivam obrui, ut cognitiones utiliores ibi locum non inveniant.

§. IV.

Ut gloriam suam externam dilataret, ut plures extra se reddebet felices, Deus hominem multiplicari, ac singulis prædictorum animæ talentorum portionem distribuere voluit. Cùm enim in pluribus plures & perfectiores cognitiones possibiles sint (vi Schol. §. II.) illi autem, in quibus & plures & perfectiores, cognitiones existunt, ad gloriam Dei æquè ac propriam fe-

felicitatem promovendam aptiores sint (vi Cor. §. III.) dubio caret, utrumque finem per hominum multiplicationem suisse adimpletum.

§. V.

Ad agnitionem Dei in multis, & ad multorum felicitatem facilitandam alii juxta alios positi, singulique præter dona animæ donis corporis, & inter hæc præcipue facultatibus loquendi & audiendi instructi sunt, quarum ope cognitiones suas sibi invicem manifestare possent; hoc modo unico quasi momento A. poterat fieri particeps cognitionis illius, quam B. solus non nisi seriâ applicatione & longâ experientiâ in sua mente produxerat, & vicissim: Patres poterant Filiis enarrare mirabilia & magnalia Dei, ejus magnitudinem & bonitatem deprædicare, circa voluntatem ejus & mandata eos instruere &c. ut ea à Filiis in Nepotes propagarentur: ii, quibus nonnisi per communes calamitates & exigentias (justè sic disponente Creatore) ad finem suum eluctari datum erat, communi saltem consilio malis hujus vitæ remedia querendi, alter alteri veritatem detectam, utilitatem comprobata, quâ utriusque necessitatì aut commoditati satisficeret, suggerendi facultatem habebant, sive A. & B. vel si mavis omnes eò perveniebant facile, ad quod A. sine B. & vicissim, vel planè non, vel saltem difficillimè pervenisset.

SCHOL. 1. Loquela & auditus cùm consistant in sonis transversibus, hinc, quæ dicta sunt, nonnisi inter præsentes locum habent.

SCHOL. 2. Etiam ope visus per nutus capitis, per varios motus labiorum aliósque gestus corporis aliquas nostrarum cognitio-

tionum communicare invicem possumus; sed quām in insufficien-
tia sint hæc media , de hoc nos convincit quotidiana experientia
in surdis & mutis.

§. VI.

M ultitudo hominum successivè dispersa est, aliique ab aliis
morte divisi; his igitur Beneficium linguæ prodesse non
poterat (vi Schol. 1. §. præced.) cum tamen ex utilitate, quam
communicatio cognitionum inter præsentes causabat, facilè es-
set cognoscere, quantum ex eâ etiam illi, qui aut loco aut tem-
pore diverso existebant, emolumentum capere possent; inge-
niōsa accessit hominum solertia, ac dirigente sine dubio divinâ
providentiâ signa quædam durabilia invenit, quibus cognitio-
nes vel in sola mente existentes vel loquelâ ast transeunter tan-
tum manifestatæ etiam permanenter exprimi valerent, ut, quod
præsentibus sibi loquela, id ipsum hæc signa reliquis præstarent
servitium, ope horum signorum enim cognitiones non tantum
de loco in locum, sed & de generatione in generationes trans-
ferri, & ii, qui longâ locorum & temporum intercapidine re-
moti erant, quasi uno eodemque loco & tempore viverent, com-
pellari poterant.

SCHOL. I. Traditio (quæ est factæ locutionis de ore ad os
continuatio) eidem fini quodammodo serviebat, eo præcipue
tempore, quo vita hominum magis longæva, & cognitiones
nondum ita multiplicatae erant; verum consideratâ inventionum
& detractionum successivè veritatum multitudine, vitæ humanæ
ordinariae brevitatem, memoriae labilitatem, factâ virium animæ di-
minutione, quām facilè perirent ex iis plures & utilissimæ, nisi
alius eas propagandi modus Traditioni subsecutus esset. Incer-
titu-

titudo multarum veritatum, quæ de illis temporibus nobis fūpersunt, quibus soli Traditioni fidebatur, id luculenter ostendit, si etiam de iis mentio non fiat, quæ oblivioni omnino datae sunt.

SCHOL. 2. Quando primū & à quo præcisè signa cognitio-
num intellectus permanenter manifestativa inventa sint, incer-
tum est; Nam aliqui ea jam ante mundum conditum extitisse
fabulantur cum Rabbinis, Legem quippe signis igneis coloris
nigri in dorso ignis candidi annotatam, & à Deo conservatam
fuisse afferentes: (a) quidam illa casu subito per stellas in cœ-
lo formata, & ab hominibus adoptata fuisse ex sacra Scriptura
conati sunt eruere: (b) alii Adamum in Paradiso, (c) alii He-
noch, (d) alii Seth &c. (e) eorundem inventores statuunt: alii
denique, quorum opinio inter omnes probabilissima creditur,
eorum originem non nisi post diluvium ex Ægypto querunt,
eamque ad Annum M. 1829. præterlapsa vicennio post disper-
sionem generis humani Phœnicio cuidam nomine Taaut (quem
Græci Ἑραῖν, Latini Mercurium vocant) in acceptis referunt (f)
ex

(a) Vid. MORHOFF. L. IV. C. 1. §. 9.

(b) Vid. JAC. GAFFARELLI curiosa inaudita de sculptura talismanica
Persarum &c. & de lectura stellarum.

(c) Vid. THOMAS BANGIUS Exercitationes de ortu & progressu Little-
rarum, & Acta erudita Lips. ad A. 1686. super Petri Erici renatum
è Mysterio principium philologicum.

(d) Vid. idem BANGIUS recensens alphabeta Henocheum Exercit. I.
Item JO. HENR. URSINI Exercitat. de Zoroastre Bactriano Hermete
&c. eorumque scriptis. Item Maderus de Scriptis & Bibliothecis
antediluvianis.

(e) Vid. JOSEPHUS L. 1. antiq. Judaic. Cap. 3.

(f) Vid. Philo Biblius in proœmio ad Sanchoniathonem apud Euseb.
præp. Evang. L. 1. C. 9.

ex Aegypto ea in Graeciam transtulit Cadmus, (g) unde & in reliquias Mundi plagas crescente semper signorum perfectione propagata sunt. Ingrata certe pignora! quae dum non solum heroes & illustres, sed & scelestissimos donarunt immortalitate, parentem suum oblivioni non eripuerunt.

SCHOL. 3. Signa hæc variis temporibus, & gentibus varia inventiuntur, aliis, uti olim Aegyptiis & hodie adhuc Chinensibus usitata sunt hieroglyphica, id est, imagines rerum in columnis à dextra ad sinistram juxta se positis depictæ, hæc ad plusquam 80000. jam excreverunt, interim nequidem omnes res diversæ, multò minus earum mutationes iis exprimi possunt (h). Communiores & fœcundiores sunt litteræ, quarum alii mox plures, mox pauciores habent: Figuras earum penes multas quilibet nescit esse distinctas; utrum autem litteræ, an signa hieroglyphica illis antiquiora sint, hujus determinatio æquæ difficilis est, ac originis eorum in genere. Vid. Schol. præced.

§. VII.

A tempore creati hominis usque ad inventionem signorum suo præcedente memoratorum cognitiones humanæ tum historicæ, tum dogmaticæ indiēs multiplicatæ sunt; etenim post eas, quæ opera & facta sex dierum concernunt, plures revelavit Deus Patribus nostris, plures hi ipsi naturali quâdam inclinazione infinitis se miscentes questionibus, quotidiana experientia detexerunt, varias invenerunt artes, quibus & necessitatibus & commodis suis satisfacerent: innumeræ etiam, quæ in omni regno entium acciderant, mutationes iis ignotæ manere non

C

po-

(g) Vid. JOSEPH. SCALIGERI Dissert. de Litteris Jonicis.

(h) Vid. Carl Friderich Stögels Einleitung in die Erfindungs-Kunst. S. 18

poterant. Ne igitur antiquissimæ istæ, & propterea venerandæ cognitionum primitiæ usque huc ope memoriæ & Traditionis jam difficillimè propagatae (vid. Schol. I. §. præced.) per memoriæ labilitatem perderentur, ne inventiones utilissimæ ut pote partus felicissimi industriæ humanae per multos labores aut nonnisi longas post experientias neo-acquisitæ in ipso suo exordio per mortem inventorum mox iterum suffocarentur, signis five litteris in materia solida annotatæ, atque ita in statum quendam immortalitatis transpositæ ad nos usque derivatae sunt.

SCHOL. Materia, cui cognitiones inscribi solebant, nec semper, nec omnibus eadem fuit usitata; alii enim lapides (*a*) alii ligna (*b*) alii cuprum (*c*) alii folia & cortices arborum (*d*) alii pelles animalium sive pergamentum (*e*) alii folia papyri, plantæ Ægyptis notæ (*f*) & exinde papyrus ordinarium (*g*) adhibuerunt.

§. VIII.

(*a*) Vid. Exod. c. 24, v. 12. & L. Josue c. 8. v. 32. Item ROLLIN Histoire des Ægyptiens.

(*b*) Vid. ROLLIN ibid.

(*c*) Vid. HAMBERGERS Präfatio ad Librum: Kurze Nachricht von den vornehmsten Schriftstellern vor dem 10ten Jahrhundert.

(*d*) Ibid.

(*e*) Ibid.

(*f*) Ibid.

(*g*) Ibid.

§. VIII.

Illud, quod ex cognitionibus hominum signis aut litteris annotatis proveniebat totum, scriptum aut Librum appellare libuit: hieroglyphicum quidem, si signa hieroglyphica, ordinariè scriptum, si adhibitæ sunt Litteræ; abhinc ergo Librorum origo repetenda est.

SCHOL. Quando primum & à quo præcisè facta sit prima cognitionum suarum annotatio, æquè incertum est, ac inventio litterarum ipsarum. Vid. §. VI. ejusque Schol. 2. Si fides esset Rabbinis, jam Adamo in Paradiso libros quosdem fuisse dicendum foret, alii saltem Setho scripta quædam lapidearum columnarum, alii Henoch annotationem prædictionum suarum, alii aliis Moysè antiquioribus varia attribuunt; verùm hæc partim adnumerantur fabulis à D. BAYLE, partim sufficieni saltem destituuntur fundamento (a). Interim inter eas, quæ cognitiones singulares sive facta concernunt, annotatio Moysis, quæ hodie in sacra Scriptura sub nomine Pentateuchi continetur, antiquissima ad An. M. 2369. facta creditur, unde & author ejus antiquissimus historiographorum appellatur; (b) quantum verò ad cognitiones universales sive dogmaticas: harum primis annotationibus adnumerantur tabulae Decalogi, Revelationes factæ Prophetis, item variae annotationes scientiarum & artium ab Aegyptiis relictæ.

C 2

§. IX.

(a) Vid. BAYLE Dict. hist. crit. Articulos Adam, Seth, Henoch &c.

(b) Vid. BOSSUET Discours sur l' hist. universl. tom. I. p. 7. edit. d' Amsterdam.

§. IX.

Ut inventiones & artes ferè omnes, ita & ista de cognitiōnibus per litteras annotandis successivē & per gradus ad eam, quam hodie habet, perfectionem ascendit; cùm enim viderent homines, materias primitūs usitatas vel nimis graves vel corruptibiles esse, leviores & durabiliores assumpserunt. vid. §. VII. Schol. Cùm sentirent modum signa aut litteras manu artificiosā unam post alteram vel insculpendi, vel depingendi (scribere dicitur) nimis lentum esse, hinc postmodūm plures earum simul & semel ope materiae solidæ & duræ, cui anteā insculptæ erant, in alteram v. g. papyrus transferre (id est imprimerē) didicerunt. Annotationes priori modo factas manuscripta, cæteras impressa sive typographicè scripta appellare solemus. Hæc igitur illis longè posteriora sunt, hinc illa rariora: hæc totum ferè mundum hodie inundarunt.

SCHOL. Artem imprimendi sive typographiam aliqui Scythis, aliqui Chinensibus, Sinensibus alii in acceptis referunt, dum cæteri pro quibusdam Germanis Sæc. 14. acriter decertant; verū si vanitatem, qua quisque pro honore & causa patriæ & gentis suæ impellitur, velimus deponere, & fateri quod res est, typographiae initia gentibus ipsis antiquissimis denegari non possunt, quamvis à nostro imprimendi modo multū diversa sint. Interim & compatriotis nostris typographiæ multò perfectionis inventionem adjudicandam esse stricte jure postulatur. Super illam quæstionem, an à Mentelino Argentoratensi, an verò à Guttenbergio Moguntino prima hujus perfectionis fundamenta posita sint, lectorem benevolum ad factas desuper Dissertationes spe-

speciales remittendum putavi. (a) De eo non dubitatur, quod circa medium Sæc. 15. querenda sint; (b) supersunt enim, & inter prima impressa numerantur Psalterium latinum Moguntiae impressum An. 1457. DURANDI Rationale divinorum Officiorum de An. 1459. Catholicon januensis de An. 1460. &c. (c)

§. X.

DEFINITIO LIBRORUM.

Ex præmissa hucusque Librorum origine etiam definitio eorum facile colligitur, vid. §. VIII. cum tamen vox ista in sensu aut stricto aut latiori accipi solet, quid mihi nomine Librorum veniat, paulò accuratius determinare inutile non erit ad evitandam in sequentibus amphibologiam. Est autem Liber in sensu latiori nihil aliud, quam series quædam cognitionum nostrorum signis permanentibus expressarum: In sensu stricto, non quævis, sed longior quædam series, non quibuscumque signis, sed litteris, non quomodounque, sed in papyro aut materia aliâ ut papyrus, complicabili expressa requiri solet; mihi de Libris imposterum differenti hæc Expressio semper in sensu latiori intelligenda erit, ita ut scriptum aut Liber omnino synonima sint.

C 3

CORR.

(a) Vid. JOH. SCHMIDII Theol. Argentin. sermo sacer Eucharisticus de Typograph. Argentorati An. 1440. inventa. Item TENZELII Discours von der löblichen Buchdruckerkunst in Deutschland.

(b) Vid. BERNAR. à MAILLINCROT de orru & progressu Typograph.

(c) Vid. ISELIN Historisch Geograph. Lexicon Art. Buchdruckerey.



COR. 1. Epistolæ igitur quascunque, schedas, inscriptiones tabellarias aut lapidares, sub nomine Librorum comprehendendo. Parùm certè videntur differre Tabulæ lapideaæ Moysis à Codicibus legum nostrarum, unica Epistola plures sèpè cognitiones in se contineat, quàm grandia volumina, & coordinatio quædam pyramidum Ægyptiacarum, quibus facta Regum & Regulæ artium inscriptæ erant, eodem jure Bibliothecæ illorum temporum dici possunt, quo nostra palatia, ob juxtapositionem infinitorum voluminum.

COR. 2. Cùm cognitiones hominum tantùm apparentes etiam hoc nomine veniant, si eæ litteris exprimantur, nomine Libri veniunt.

SCHOL. Anonymus quidam (a) Librum idem vult esse ac volumen, sicutque à volvere appellationem hanc derivat, existimans, quod antiqui, quibus consuetum erat litteras & opera sua, quantum materia requirebat, super folia longissima scribere, in modum spirarum complicare, sive volvere soliti fuerint, & sic volutum sive volumen dixerint: In hoc utique sensu non omnia in Corollario recensita scripta nomine Librorum comprehenduntur; sed Anonymum gratis ea afferentem deserere nefas non erit, maximè, quia rationes eorum, quæ infrà de Libris dicentur particularia, non tantùm ad Libros in sensu ita stricto, sed etiam latiori sumptos se extendunt. Vid. infra Sect. II.

§. XI. DIVISIO LIBRORUM.

Libri in latitudine §. præc. sumpti multiplici ex fundamento inter se diversi sunt; sed cùm plures divisionum possibiliū

(a) Vid. Nouvelle Bibliothèque de la Litteratur.

lum in ordine ad hanc Dissertationem planè nihil conferant utilitatis, eas tantùm afferam, quæ hic aliquem effectum habere possunt. Primum inter ceteras locum mereri videtur illa, quæ fit ratione objecti, de quo Libri cognitiones in se continent; aut enim Religio est, & sacri, aut quid aliud præter religionem, & profani dicuntur, sique in eodem Libro de utroque objecto tractetur, mixtus erit ex sacro & profano, in quo unum aut alterum objectum principalius esse potest.

SCHOL. Eriam antiquis distinctio Librorum sacrorum à cæteris jam usitata erat, ast in alio planè sensu ac nobis est: illos quippe sacros appellabant, qui litteris sacris, id est hieroglyphicis scripti erant, & in quibus potissimum scientiae & artes noviter inventæ occultabantur.

§. XII.

Religio vel fide vel moribus exercetur, hinc Libri sacri unum aut alterum pro objecto habent, unde vel *de fide* vel *de moribus tractantes*, vel si utrumque simul *mixti* ex cognitionibus fidei & morum appellantur.

SCHOL. Fides hic non sumitur pro assensu interno præcisè, qui veritati alicui ob auctoritatem loquentis præstatur; licet enim Libri dentur, qui de hoc unicè tractant, maximè tamen pro articulis, pro doctrina fidei ipsa, quam Libri exhibent, acceptanda est: per mores vero omnes eas actiones externas hominum intelligo, quæ in ordine ad Religionem fieri possunt.

§. XIII.

§. XIII.

Libri de Fide tractantes §vo præced. vel continent in se cognitiones eorum, qui fidem Christianam planè rejiciunt, vel non: illi libri *infidelium* aut *infideles* audiunt, hi *fidelium* aut *fideles*.

SCHOL. Secundum rigorem ii tantum Libri infideles essent dicendi, in quibus planè nulla fides in Deum admittitur; ne tamen à communis appellatione sine necessitate recedam, omnes eos Libros infidelibus ad numero, in quibus fides in Christum non admittitur: etiam gentiles aut paganorum dici poterunt; quid observandum sit ratione distinctionis inter libros *infideles* & *infidelium* ex Schol. i. §. XV. ob paritatem rationis cognosci poterit.

§. XIV.

Libri infidelium in sensu Scholii §. præc. accepti vel eorum cognitiones in se continent, qui planè nullam in Deum fidem habent, & strictè infideles sive *atheistici* sunt, vel aliquam quidem habent, sed in Deum falsum & *idolatrici*, vel si etiam in Deum verum credant, fidem Deo placitam non habent, & tunc vel *Deistici* sunt, vel *Judaici*, vel *Mahometani* aliorumque *gentilium* &c. prout cultus eorum diversus in iis expositus est.

§. XV.

Libri fidelium §. XIII. pariter inter se diversi sunt; vel enim in se continent veram doctrinam Christi vel falsam: si pri-

mum

num Catholic*i*, si alterum , tunc vel in aliquo articulo aut capite fidei deficiunt, & hæretici , vel ultra capita à Christo per se & suam Ecclesiam proposita sine fundamentis alium adjiciunt, & superstitioſi vocantur, vel ex toto vel ex parte tales , prout vel aliquæ vel omnes cognitiones in iis expressæ cum doctrina Christi non concordant.

SCHOL. 1. Aliud est , Librum esse hæreticum , aliud , esse ab hæretico scriptum ; qui enim aliunde noscitur , quod in uno altero Articulo fidei deficiat , propterea cognitiones istas Libro suo non inseruit. Experientiâ scimus , Libros ex integro Catholicos non paucos emanasse ab iis , quos alias hæreticos nominare licebat.

SCHOL. 2. Ut aliquis Liber hæreticus dici possit , certum debet esse , cognitiones in eo expressas saltem aliquas à vera doctrina Christi aberrare , & ut tales ab Ecclesia esse declaratas , hinc subtiliores quidam Theologi speculativistæ & limites christianæ charitatis & potestatis suæ transgrediuntur , eos Libros appellando hæreticos , qui v. g. de Superioritate Concilii generalis supra Pontificem , de potestate Pontificis accidentalí restringenda , de ejus fallibilitate in Canonizatione Sanctorum &c. quasdam cognitiones continent ; licet enim hæc fortè falsæ sint , eas tamen Ecclesia nondum ut tales declaravit.

SCHOL. 3. Negandum non est , & uno omnium Theologorum ore comprobatur , tales circa fidem cognitiones existere , quæ etsi ab Ecclesia ut veræ definitæ non sint , non obscurum tamen & in Traditione & S. Scriptura fundamentum habent maximæ credibilitatis : interim si Libros his contraria continent hæreticos vellem nominare , entia ficta & prædicata ignorantiæ multiplicarem , nulla enim hæresis sine definitione Ecclesiae.



§. XVI.

Ut libri de fide, ita & illi de moribus tractantes (vid. §. XII.) varias sub se species continent, in quas inutile non erit eos dividere. Continent autem vel tales cognitiones, quae ad morum perfectionem aliquid conferre posunt: liceat mihi priores morum ædificantes, posteriores morum corruptivos appellare: vel ex toto, vel ex parte tales, quod per se patet.

COROL. Sive igitur cognitiones de moribus sub ficta aut fabulosa factorum serie, sive planâ & apertâ veritatum narratione exprimantur, inde nec ædificantes nec corruptivi fiunt Libri: modus hic est cognitiones exponendi: ipsæ cognitiones vel ædificant vel corrumpunt.

§. XVII.

Libri morum corruptivi sub mille titulis venire possunt: aliquos hinc tantum adducam, ad quos reliqui facile reducuntur; sunt quippe vel *blasphemi*, si cognitiones in iis expressae sint, quae honori Dei contrariantur, vel *magici*, si cognitiones de magia exercenda, vel *obsceni*, si cognitiones ad incastitatem allicientes, vel denique *libertini*, si cognitiones omnium legum contemptivas in se contineant &c.

COROL. Calumnia, quæ Sanctis Dei fit, in Deum ipsum redundat; hinc Libri, honori Sanctorum quid contrarium continentes, etiam inter blasphemos reputantur.

§. XVIII.



§. XVIII.

Recensitis nunc variis Librorum sacrorum speciebus, ad alterum divisionis membrum (vid. §. XI.) redeundum est, scilicet ad Libros profanos: hi verò aut privatum aut publicum quid pro objecto habent; liceat mihi priores appellare Libros *privata*, reliquos *rempublicam concernentes*.

§. XIX.

Libri profani privata concernentes vel *diffamantes* sunt *vel non*, prout cognitiones perfectionibus nostris oppositas exhibent. *vel minùs.*

SCHOL. Hujusmodi Libri strictè dicti non adeo frequentes sunt, quamvis inter disceptantes scriptis eorum aliqua saepè immisceantur, quæ finè injuria publicari non possunt; sed è contrario ratiæ non sunt & schedæ diffamatoriae & pasquini, & scripta, quæ nomine Librorum injuriosorum veniunt (vid. Cor. i. §. X.) communiter libelli famoli aut contumeliosi dicuntur (a).

§. XX.

Quantum ad Libros profanos rempublicam concernentes §. XVIII. nosse sufficit, alios eorum in se continere tales cognitiones, quæ Superiori potestatem tribuunt omni limite etiam naturali expertem, & Machiavellistici, vel tales, quæ subditis inscenem licentiam contra Superiorem concedunt, & Monarcho-

D 2

(a) Vid. L. IX. Tit. 36. Cod. Just.

chomachistici, vel denique tales, ex quarum manifestatione estimationi Superioris aliquid detrahitur, & tunc *injuriosi in Superiorum nominantur*,

CORROL. Libri Ministris publicis injuriosi etiam ipsi Superiori injuriosi sunt; Ministri enim Principem repræsentant, & uti eorum honorem, ita & contumeliam in hunc redundare communis existimatio est.

SCHOL. 1. Injuria in Superiorum fieri potest vel carpendo 1.) mores ejus, vel 2.) modum Regiminis, vel 3.) leges præcisè; quidquid fiat in Libro, is inde injuriosus dicitur.

SCHOL. 2. Cognitiones ejusmodi plerumque sub ingeniosis fictionibus, terminis aliquantum obscuris, & acutis sub expressionibus exponuntur, & Libri exinde vocantur satyrici; verum non omnes Libri satyrici simul injuriosi sunt, si regulæ styli satyrici de cætero non violentur: Ejusmodi Libri taciti, ast utilissimi aliorum instructores esse possunt (a).

§. XXI.

De Libris ex objecto suo diversis nunc satis dictum est. Alterum eos cum effectu quodam ad Dissertationem dividendi Fundamentum est *forma Libris intrinseca*, id est methodus, quā cognitiones in iis expressæ sunt, sicque vel *bene-* vel *mala-* scripti dicuntur, prout methodus vel bona vel mala est.

SCHOL. 1. Videtur inutilis esse hæc divisio, quia methodus cognitiones nec bonas nec malas facit, adeoque nec ad prohibitiō.

(a) Vid. RABNERS Satyren von dem Missbrauch derselben. Tom. I.

tionem Librorum aliquid conferre potest; verum hoc infra patet.

SCHOL. 2. Quae methodus bona, quae mala sit, hic loci determinandum non est. Vid. Log. WOLFF MEIER, BAUMGARTEN, NETTELBLADT præcogn. un. erudit.

§. XXII.

Libri malè scripti tales sunt vel ex defectu ordinis in bona methodo observandi & tunc *confusi*, vel ex defectu claritatis, & tunc *obscuri*, vel ex defectu soliditatis & *non solidi* dicendi sunt.

SCHOL. Ex præjudicio venit, si Libros malè scriptos putemus, quia per certos autores emanarunt: ideo confusi non sunt quia à Monachis: nec obscuri, quia à Mathematicis, nec soliditate destituti, quia à tyronibus conscripti sunt; quamvis enim non raro vera sit, sæpius tamen ex neglectu sufficientis examinis venit præmaturata haec sententia. Ad cognoscendum igitur Libri defectum ipse Liber inspiciendus est.

§. XXIII.

Tertium Libros dividendi fundamentum mihi est eorum *auctor*, sive is, cuius cognitiones in Libro expressæ sunt. Sub hac ratione quidam nomen auctoris explicitè præferunt, quidam non: si primum, *auctoris-nominati*, si alterum, *innominati* dicuntur.

SCHOL. Quid observandum sit, si auctor sit hæreticus, jam suprà dictum §. XV. Schol. 2.

D 3

§. XXIV.



§. XXIV.

Libri innominati auctoris vel *anonymi* sunt, vel *pseudonymi*, prout vel planè nullum auctoris nomen, vel faltem factum in iis expressum invenitur.

SCHOL. De omnibus hic factis divisionibus Librorum locum habet, quod supra §. XXI. Schol. I. & §. XVIII. jamallatum est.

§. XXV.

DE FINE LIBRORUM IN GENERE.

Finis est id, propter quod aliquid sit, hinc finis Librorum est id. propter quod Libri fiunt: cumque hi fiant, ut cognitio[n]es nostrae conserventur, & aliis communicentur, palam est, finem Librorum esse conservationem & communicationem cognitionum nostrarum. Vid. §. VI. & VII.

SCHOL. Accidit non raro, quod Libri ob gloriam portandi nomen auctoris, ob lucrum quoddam privatum, aut ne scio ob quid aliud fiant, sed hic finis directus Libri non est, sed planè accidentalis.

§. XXVI.

Finis vel bonus vel malus est, prout ad perfectionem nostram aliquid tribuere potest vel ad imperfectionem; hinc finis Librorum bonus est, si cognitiones, quae in iis conservantur, per sui communicationem nos perfectiores reddere possunt, malus, si imperfectiores.

COROL.

COROL. Quò plures igitur cognitiones in Libro expressae ad perfectionem nostram, & hanc quò majorem aliquid conferunt, eò melior, quò plus ad imperfectionem, & hanc quò majorem, hoc pejor est Libri finis.

§. XXVII.

DE INFLUXU LIBRORUM IN INTELLECTUM, VOLUNTATEM, ET ACTIONES NOSTRAS LIBERAS.

Unum in aliud influere dicitur, si hoc in illud extra se aliquid agit; hinc Libri in intellectum, voluntatem, & actiones nostras liberas influunt, si aliquid in ea agant: & sicuti influxus unius in aliud in genere fieri potest vel quodam intercedente, vel nullo, ac immediatus, vel mediatus dicitur, ita & influxus Librorum respectu nostri talis esset, si vel aliquo vel nullo intermediante in nos agerent.

§. XXVIII.

Libri in intellectum immediate, in voluntatem & actiones nostras liberas mediate saltem influere possunt: etenim cùm nihil aliud sint, quam receptacula quædam diversarum cognitionum (vid. §. X.) apta ex fine suo eas nobis communicandi (vid. §. XXV.) sicque intellectum legentis à non cognoscente in cognoscentem, à sic cognoscente in aliter cognoscens mutandi, dubio caret, eos in intellectum nostrum aliquid agere posse; cùmque voluntas nostra soleat operari dependenter à cognitionibus, (nihil quippe volitum, nisi

præ-

præcognitum) hinc mediante intellectu etiam in voluntatem, ac per istam, à qua actiones nostræ liberæ diriguntur, etiam in has agere, id est, influere posse dubio caret.

SCHOL. Influxus iste non est adeò Libris intrinsecus & necessarius, ut omnino impediri non possit, nam ut cognitiones nobis propositas rejicere, ita & ab iis, quas jam adoptavimus, disformiter agere impossibile non est; sed si velimus attendere ad id, quod experimur, plerumque cognitiones aliorum speciosè ab iis propositas (an bene aut malè, hinc non examinandum) nobis appropriamus, voluntas assimilatur intellectui, & actiones voluntati; hinc saltem possibilitatem hujus influxus negabit

§. XXIX.

Influxus unius in aliud utilis est, si actio huju in aliud producet ad ejus perfectionem quid conferat, nocivus, si ad imperfectionem; hinc si Libri intellectum, voluntatem & actiones nostras liberas perfectiores reddant, utilis, si imperfectiores, nocivus eorum influxus erit.

COROL. Quod magis igitur, & ad quod majorem cognitionem & actionum nostrarum aut perfectionem aut imperfectionem Liber aliquis conferet, hoc utilior, aut magis nocivus erit influxus ejus.

SCHOL. Utrum tales Libri dentur, & quinam hi sint, qui maxime influum habere possunt, ex Sectione secunda clarum fiet. Hæc de Libris in genere sufficiunt: quid ea attulisse juvet, in sequentibus patescet.

SECTIO

SECTIO II.

D E J U R E
PROHIBITIONEM LIBRORUM POSITIVAM
CONCERNENTE.

§. XXX.

Prohibitio est positio legis, ex qua obligatio venit aliquid
omittendi: (a) si obligatio aliquid circa Libros omittendi
inde nascatur, prohibitio Librorum dicitur.

§. XXXI.

Lex prohibens vel per naturam & essentiam rerum, vel per
voluntatem entis cuiusdam rationalis immediate constituta
est: In primo casu prohibitio naturalis, in altero positiva di-
citur; (b) quæ si ad Libros applicentur, prohibitio Librorum
aut naturalis aut positiva erit.

SCHOL. Incontestabile est, ejusmodi leges comparatione mul-
torum Librorum cum infirmitatibus nostris erui posse, quibus
& impressio & lectio &c. eorum etiam non accidente lege posi-
tiva satis prohibita forent; sed cum finis meus in eo tantum con-
sistat, ut justitiam prohibitionis positivæ ostendam, hinc pro-
hi-

E

(a) Vid. BAUMGARTEN Init. phil. pract. §. LVIII. Item WOLFF. in-
stit. Jur. Nat. p. 1. §. LVII.

(b) Vid. NETTELBLADT Syst. juris posit. §. XXX. tom. 1. sect. 1.
Tit. 2.

hibitionem eorum naturalem intactam relinquō : de positiva unicē sermo erit.

§. XXXII.

Jus est facultas agendi moralis, (a) hinc qui facultatem moralē habet alteri obligationem imponendi , ut hoc illudve omittat, jus prohibitionis ei competit (vid. §. XXX.) & si facultas ista ad omissiones Libros concernentes se extendat, jus prohibitionem Librorum concernens adesse dicitur.

SCHOL. Etiam Jus Libros prohibendi vel naturale vel positivum esse potest , prout vel ex natura & essentia rerū alicui competit , vel in voluntate entis rationalis rationem suam sufficientem habet,hic mihi nulla exceptio , quocunque assertionum mearum demonstrationem invenero , inde extraham , cūque eae maximē in natura & essentia rerum fundatae sint , hæc mihi potissima subministrabit.

§. XXXIII.

Quod circa Libros omittendum venire potest , vel est eorum 1.) impressio , vel 2.) divulgatio , vel 3.) retentio , vel 4.) lectio , & hæc vel a) publica , vel b) privata tantum. Hinc prohibitio Librorum vel est prohibitio impressionis , vel divulgationis , vel retentionis , vel lectio eorum aut publicæ aut privatæ etiam , prout hoc vel illud omittendi obligatio im-

(a) Vid. NETTELBLADT Syst. jurispr. Nat. introd. §. 115.

posita erit. vid. §. 30. jus autem hanc imponendi eodem modo
diversum esse per se patet. vid. §. præced.

SCHOL. 1. Sub nomine divulgationis omnes modi Libros alii
communicandi veniunt, sive enim per venditionem, sive per
donationem &c. hoc fiat, perinde est.

SCHOL. 2. De omnibus equidem prohibitionis istius speciebus intelligenda sunt, quæ dicentur; interim tamen lectio Librorum, ad quam cætera omnia tanquam media tendunt, potissimæ considerationis erit.

§. XXXIV.

Prohibitione Librorum positâ , vel omnes ad aliquid circa illos omittendum obligati sunt, vel aliqui , vel unus tantum: si primum, prohibitio universalis , si secundum , particularis, ac si tertium , singularis prohibitio erit , Jus autem vel singularis, vel particularis , vel universalis prohibitionis illi competit, cui vel ad primum vel secundum aut tertium facultas dabitur.

§. XXXV.

3

Prohibitioni Librorum positivæ quædam plerumque annexa
esse solent, uti 1.) Librorum censura, 2.) affixio, & 3.)
variæ poenæ, quædam autem valde affinia, uti Librorum oc-
cultatio & expurgatio. Cum igitur, ubi de objecto quodam
principaliter sermo est, etiam ea, quæ cum eo quodammodo con-
nexa sunt, commodissimè pertractentur, hinc & ista hic neg-
ligenda non sunt.

§. XXXVI.

Censura Librorum in sensu latiori est declarata Judicis existimatio super eorum tenorem, in sensu strictiori (in quo plerumque accipi solet) est declaratio sententiæ judicialis de tenore Libri perverso, (a) & sic sàpè cum ipsa prohibitione Librorum confunditur; sicut proinde tenor Librorum potest esse diversus, vid. Seçt. I. §. XI. & seqq., sic etiam censura potest esse diversa, prout Judex declarat, quod sit Liber vel hæreticus, vel blasphemus, vel impius, vel scandalosus &c.

SCHOL. 1. Si Prædicata hæc opinionem Judicis accuratiùs determinantia propositionibus singularibus attribuantur, dicuntur propositiones qualificari, (b) quidni & accuratiùs quædam censura Librorum, eorum qualificatio dici poterit.

SCHOL. 2. Censura etiam in aliis quibusdam significationibus accipi solet: (c) sed hæc alibi utilia esse possunt, non in presenti,

§. XXXVII.

Affixio Librorum est actus, quo lex prohibens Librum vel cum vel sine censura accuratiùs determinata (vid. Schol 1, §. præ-

(a) Vid. ZAHLWEIN principia Jur. Eccl. Tom. 1. fol. 387.

(b) Vid. ANONYMUS de principiis Juris publ. Eccl. C. v. §§. 31. & seqq.

(c) Vid. Dict. de droit Can. art. Censures.

§. præced.) in loco quodam publico appenditur (*a*) hinc & istâ prohibitio Librorum sæpe significatur.

SCHOL. Quidam hoc nomine eam solum affixionem Librorum intelligunt, quæ Romæ sit ad valvas Basilicæ Principis Apostolorum & in acie Campæ Floræ, sed hic sensus videtur esse nimis restrictus.

§. XXXVIII.

Pœna est malum physicum ab eo, qui alterum obligandi jus habet ob malum morale immisum; (*b*) hinc si prohibens hoc malum comminetur in casum contraventionis Legi sanctæ, prohibitioni pœna adjecta esse dicitur, & quidem prohibitioni Librorum, si ea Libros concernat.

§. XXXIX.

Malum physicum aut spirituale est, aut temporale, hinc & pœna aut spiritualis aut temporalis prohibitioni adjecta dicetur, prout vel hoc vel illud comminatus est prohibens.

§. XL.

Pœna spiritualis prohibitioni Librorum adjici solita est Excommunicatione ipso facto incurrenda (*c*). Inter pœnas tempora-

E 3

ra-

(*a*) Vid. VAN ESPEN de promulg. Leg. Eccl. c. 3.

(*b*) Vid. DAN. NETTELBLADT Syst. Jurispr. pos. T. 1. Sect. 1. Tit. 6. §. 87.

(*c*) Vid. Reg. Ind. X. in fine, & varia Decreta Summorum Pontif. Libros prohibentia.

rales maximè notabiles sunt Librorum confiscatio & combustio,
quarum illa actus est, quo Libri possessoribus suis eripiuntur,
& ejus, qui prohibendi jus habet, bonis adjudicantur, hæc au-
tem ceremonia quædam ignominiosa, quâ per manus Lectoris
publico igni traduntur.

§. XLI.

Tria hæc prohibitionis Librorum annexa vid. §. XXXV. & seqq.
considerari debent tanquam media, quæ si unquam Libros
prohibere justum est, adhibentur ad finem, qui per prohibitio-
nem intenditur, facilis obtinendum; per censuram enim &
affixionem cognoscimus, an & quare Libri prohibitio fiat, per
ptenas autem partim occasio mali è medio tollitur, partim de-
terrentur ii, qui aut editionem aut divulgationem aut lectio-
nem Librorum perversorum meditantur.

§. XLII.

Occultare aliquid, est illud aliorum conspectui subducere; Li-
brorum ergo occultatio tunc fit, si isti conspectui nostro
subducantur, ita ut occultatio & prohibitio Librorum quidquam
valde commune habeant, quod per utramque ad aliquid circa
Libros omittendum necessitas nobis imponatur, hinc sibi affines
quidem, vid. §. XXXV. sed tamen planè eadem non sunt; ex
occultatione enim necessitas physica, ex prohibitione moralis
tantum venit: illius effectus securior & fortior est, hujus saepè
dubiosus, saepè debilis.

SCHOL.

SCHOL. Quid circa occultationem Juris sit, & quomodo illud exercitum sit usque huc, infra, ubi de Exercitio Juris prohibendi Libros exprefse agetur, videri poterit. §. LXXIX. & seqq.

§. XLIII.

Expurgatio est mali à bono separatio; Librorum expurgatio ergo tunc fieri censetur, si cognitiones malæ in Libro contentæ à bonis separantur: Est hæc expurgatio quasi occultatio & prohibitio particularis, & sic prohibitioni Librorum valde etiam affinis §. XXXV. est via prohibitione & occultatione mitigior, subinde efficacior; cum enim optimis mala immixta esse tota die experiamur, præcipue in Libris, bona autem propter mala usui nostro subtrahi non mereantur, si hæc ab iis separari possint, solemus partem Libri in suo esse relinquere, pars afferunt, sive Libri expurgantur.

SCHOL. Quod in Schol. §. præc. dictum, etiam hic locum habet.

§. XLIV.

His, quæ ad intelligentiam subsequentium necessaria videbantur, præmissis nunc propriis ad ipsas veritates, aut jus prohibitionis Librorum, aut annexa & affinia ejus tangentes accedere fas est. Sed ne temerè quid desuper asseram, aut in assertionis démonstratione deficiam, fundamenta prius ponam, quibus eas superadficem, Principia adstruam, unde illæ deducantur, Fontes aperiam, ex quibus sua sponte fluent. Sit igitur

§. XLV.

§. XLI.

PRINCIPIUM I. Quidquid Reipublicæ damnum positivum inferre potest, illud prohibendi jus datur.

PRINCIPIUM II. Quidquid Reipublicæ perfectionem impeditre potest, illud prohibendi jus datur.

PRINCIPIUM III. Quidquid vel damnum positivum vel imperfectionem Reipublicæ facilitare potest, illud prohibendi jus datur.

PRINCIPIUM IV. Quidquid ad finem laudabiliter intentum facilius obtainendum tanquam medium servire potest, illud adhibendi jus datur.

SCHOL. 1. Non debet semper aetu sequi damnum, ut iusta ratio prohibitionis detur, sufficit, si verum ejus periculum adfit, non nimis remotum.

SCHOL. 2. Plus aequo Lectorum perspicaciæ diffiderem, si Principia hæc per se satis clara adhuc longius demonstrare suscipierem, præcipue cum vix non in omni Juris naturalis systemate sufficienter demonstrata reperiantur; ne tamen ultrò hæc dixisse videar illis, qui inquirendis aut combinandis ejusmodi demonstrationibus assueti non sunt, brevem summam hic apponam, quæ sequens est: Naturale felicitatis nostræ desiderium sentimus omnes, & ad illam persequendam certum jus nobis esse credimus; dum singuli implementum desiderii sui non nisi difficulter consequi posse existimarent, Rempublicam constituerunt, cuius finis esset, felicitatem nostram communis inquirerendi. Si igitur jus quoddam est (de quo nemo dubitat) huic fini Reipublicæ conformiter agendi, jus pariter erit, omne illud removendi, quod huic fini obest. Cumque damnum po-

positivum & imperfe^ctio nostra ullo modo causata, & media utrumque facilitaria huic fini, id est felicitati nostrae repugnant, (ex definitione utriusque in Metaphysica) planè consequens est, in Republica jus esse illud prohibendi, quod unum aut alterum causare potest, ac cum insuper jus hoc sterile & infæcundum non sit, ea etiam adhibendi media fas erit, sine quibus jus effectum suum actuare non posset. Siquis ulteriore aut fulcirem horum principiorum illustrationem desiderat, videat (a) (b) (c).

§. XLVI.

Ex principiis Generalibus §. præc. stabilitis sequentia fluunt Corollaria tanquam tot veritates magis aut minus particulares, quibus totum Jus Libros prohibendi immediate innititur.

COROL. I. Sive sacræ, sive profanæ Reipublicæ aliquod damnum fieri possit, aut impedimentum perfectionis timendum sit, semper jus dabitur, id prohibendi, unde periculum unius aut alterius imminet.

Sicut enim in una felicitas temporalis, ita in altera spirituали summa lex est, ex qua, utriusque contraria è medio tollendi facultas nobis exurgit.

F

§. XLVII.

(a) DAN. NETTELBLADT Syst. Jurisprud. Nat. p. III. §. 5. & 9. item §§. 224. & seqq.

(b) DRIES inst. jurispr. univ. pars spec. Sect. III. §. 530. & sect. 5. §. 664. & seqq.

(c) WOLFF Inst. J. N. §. 2. Sect. 1. c. 1. & seqq. §. 837. 975. 978. &c.

§. XLVII.

COROL. II. Quidquid puritatem fidei nobis auferre potest,
illud prohibendi jus datur.

Puritas fidei enim, quæ consistit in omnimodo consensu eorum, quæ à fidelibus creduntur, cum vera Doctrina Christi est necessarium requisitum ad placendum Deo, (d) sine hoc impossibile est ad felicitatem nostram spiritualem pervenire, hujus igitur possessio bonum est, & absentia malum, & hinc, qui eam nobis auferret, damnum etiam infert: quidquid damnum inferre potest, id prohibendi jus datur, vi Principii I. ergo & id, quod potest auferre puritatem fidei.

§. XLVIII.

COROL. III. Quidquid corrumpere potest Sanctitatem morum, illud prohibendi jus datur.

Sanctitas morum est conformitas actionum nostrarum cum Legibus; (vid. Schol. §. XII.) tunc autem corrupti dicuntur, quando Legibus difformes esse incipiunt. Si igitur bonum est, actiones nostras liberas Legibus esse conformes, de quo non dubitandum, cum Leges propter bonum nostrum existant, damnum sequitur ex eo, quod corrumpantur; hinc si

(d) Vid. Apost. ad Hebr. c. 11. & ad Ephes. c. 4. item Differt. eruditiss. D. DR. BARTHEL de eo, quod justum est circa Negot. Relig. ex lege Div. c. præcipue §.

si verum est Principium I. etiam hoc Corollarium extra dubium possum erit.

§. XLIX.

COROL. IV. Quidquid turbare potest Tranquillitatem publicam, illud prohibendi jus datur.

Tranquillitas enim est pars maxima illius boni, quod intendebant membra Reipublicæ profanæ, dum eam constituerunt: haec est objectum illud principale, circa quod Christus Dominus Discipulos suos toties exhortatus est: Tranquillitas est condimentum cæterorum bonorum, sine hac illa insipida sunt. Igitur quod eam turbat, bonum Reipublicæ auffert, hinc damnum infert: ergo quidquid eam turbare potest, id prohibendi jus datur, vi Principii I.

§. L.

COROL. V. Quidquid minuere potest Majestatem & auctoritatem Superiorum, id prohibendi jus datur.

Majestas enim Superioribus ideo tributa est, ut à subditis amentur, auctoritas, ut timeantur, (ex fine generali constitutionis Superiorum) timore quippe & amore corda hominum felicissimè diriguntur, majestas igitur & auctoritas Superiorum media sunt, ad bonum commune consequendum: quò magis ergo hæc vel illa minuitur, eò plus augetur difficultas ad bonum commune perveniendi; at per hoc ipsum Reipublicæ

d-

F 2

damnum inferri, nemo inficias ibit, hinc nec illud, quod justum sit, prohibere, quidquid Majestatem & auctoritatem Superiorum minuere potest.

SCHOL. Is nec obiter quidem super quotidianam experientiam reflexerit, qui ignorat, eò plus crescere in subditorum animis diffidentiam in Superiorem, quò plus decrescit horum Majestas: Diffidentia generat contemptum, cessante auctoritate cessat vis Legum, dispositiones etiam justissimæ inyalidantur, sicutque ingens Reipublicæ rūina inde timenda esset.

§. LI.

COROL. V. Quidquid lādere potest bonam famam membrorum Reipublicæ, illud prohibendi jus datur.

Etenim fama, si vitam excipias, inter bona temporalia nobilissimum est, imò verò multi illam cum vita pari passu ambulare existimant; ut igitur Reipublicæ ipsi damnum infertur, si membris ejus vita aut cætera bona adimantur, ita etiam, si ea bonâ famâ priventur; consequens est, ut, si omnia prohiberi possint, quæ Reipublicæ nociva esse possunt, etiam hoc excipiendum non sit.

SCHOL. Si omnes in societatem ideò congressi sumus, ut eo, quod nostrum est, securius perfrueremur, unde alteri jus reservatum est, bonam illam existimationem, quam cæteri de me habent, extinguendi?

§. LII.

§. LII.

COROL. VII. Quidquid impedit potest augmentum scientiarum & artium in Republica, illud prohibendi jus datur.

Scientiae enim & artes ornamenta civium sunt, artes autem fontes utilitatis inenarrabilis, scientiarum pulchrarumque Literarum studia gentes moratas à barbaris & incultis discernunt; harumque felicitatem mille modis adaugent, planè ut absque Scientiis & artibus brutorum magis quam Creaturarum rationabilium vitam agere cives videantur; Rempublicam ergo perficiunt; quod magis ergo coluntur Scientiae & artes, eò amplior fit Reipublicae perfectio, ac consequenter quod earum augmentum impedit, perfectionem Reipublicae impedit; si igitur omne id prohibendi jus datur, quod perfectionem Reipublicae impedire potest, vi Principii II. sub eo etiam id, quod augmento scientiarum & artium obesse poterit, continebitur.

SCHOL. I. Verba in laudem scientiarum & artium pulchrarum allata non mea sunt, sed Ill. L. B. DE ICKSTATT in Eleni. Jur. Gent. L. 2. c. 3. §. 4. & totius orbis litterati. Magis earum utilitatem & influxum optimum in mores, artem regendi, administrationem Justitiae, Oeconomiam Statis, ejusque tranquillitatem ostendit JUSTI in Libro Grundveste der Macht und Glückseligkeit der Staaten 2ter Band 9tes Buch 34stes Hauptstück. Ad confirmationem ulteriorem videantur etiam ea, quæ supra jam dicta sunt §. III. & Schol. ejus.

§. LIII.

COROL. VIII. Quidquid parere potest jacturam temporis in Republica, illud prohibendi jus datur.

Nam supposito, quod quilibet civis teneatur ad Reipublicæ perfectionem tantum conferre, quantum potest, (quod ex fine generali civitatis certum) (a) necesse est, ut ipse perfectionem possideat, quam conferat: medium sibi perfectionem acquirendi tempus est, si benè impendatur, & si malè, id est si jaētura ejus fiat, ipse imperfetus manet, ac proin perfectionem Rei publicæ etiam promovere non potest; per temporis jaēturam ergo perfectio Reipublicæ impeditur, ast quod malum hunc effectum producit in genere, id prohibendi jus datur, ergo & id, quod jaēturam temporis parere potest.

SCHOL. 1. Tempus, quod nobis ad augendam perfectionem nostram concessum est, ordinariè valde breve est, sæpè jam maximam partem transiit, dum obligationem nostram, ad bonum commune quid conferendi, cognoscere incipimus, ejus jaētura ergo hoc magis præcavenda est.

SCHOL. 2. Plura sine dubio Corollaria magis adhuc particula ria ex iisdem Principiis potuisse deducere, sed hæc sufficere videntur ad finem.

§. LIV.

Stabilita īātēnus Principiā, deductasque ex iis veritates magis particulares ad objectum, propter quod præmissa sunt, applicare, facilis nunc erit negotiū. Si enim omne illud prohibendi jus detur, quod in Republica damnum causare potest, vi Principii 1. certe & Libros prohibendi jus erit, si ex iis hoc damnum

(a) L. B. de WOLFF. Polit. p. 2. c. 1. §. 214.

timendum sit. Sive igitur puritati fidei, sive bonis moribus, sive quieti Reipublicæ, sive Majestati & auctoritati Superioris, sive honori membrorum civitatis quovis modo nocere possint, de illis idem dicendum erit, quod Corol. I. - VI. Si omne illud prohibendi jus datur, quod perfectionem Reipublicæ impedit, ergo & Libros, si hoc impedimentum ab iis provenire possit, vi Principii 2. ergo si ruditas in scientiis & artibus, si jactura temporis per eos pariatur, etiam de iis intelligenda sunt Corollaria VII. & VIII. Si denique sint aliqua, quæ effectum hunc per Libros timendum promoveant, ea amovendi per Principium 2. & si quæ eum impediendi media, adhibendi ea etiam circa Libros jus erit vi Principii 4. præcipue si periculum istud non nimis remotum sit.

SCHOL. Non tantum pro jure, sed & pro obligatione Libros adjecta sub conditione prohibendi concludere possem, sed hoc extra scopum Dissertationis esset.

§. LV.

Demonstratum denique, & siquid video, evidens est, Libros prohibendi jus dari, si perversos §. præc. numeratos effetus post se trahere possint; utrum autem hoc verum sit, conditio adjecta minimè expedita est, hinc quod restat, jam nunc expediendum, ita quidem, ut (quia hæc conditio vel in natura & essentia Librorum ipsa, vel in accidente quodam extrinseco suam rationem sufficientem habet) de iis, qui nocere possunt ex natura sua, primò, de reliquis posteà sermo fiat. Ad hoc fint sequentia Theorematæ.

§. LVI.

§. LVI.

THEOREMA I. Possibile est, Libros effectus damnosos post se trahere ex natura sua.

Libri etenim sunt series cognitionum humanarum litteris expressae (vid. §. X.) hinc omnibus facillimè communicantur vi §. XXXIII. ex fine Librorum cognitiones istæ possunt esse falso & malæ vi §. II. & ejusdem Schol. hoc supposito ut tales legentibus communicantur, quid autem facilius accidit, quām quod cognitiones lectas etiam nostras faciamus? teste experientia; si semel nostræ sint, in voluntatem nostram influxum habent vi §. XXVIII. & malum quidem, cum & ipsæ malæ sint vi §. XXIX. Voluntas mala actiones pariter malas producit; & hinc per Libros non tantum intellectus, sed voluntas, & omnes actiones nostræ infici possunt, quos effectus damnosos esse nemo inficias ibit, hinc Libri effectus damnosos post se trahere possunt, quod erat demonstrandum.

COROL. Sive igitur omnes, sive aliquæ in Libro expressæ cognitiones malæ sint, semper periculum damni aderit, majus aut minus, prout peiores & plures earum in eo continentur, vel non.

SCHOL. 1. Libri genus quoddam fontium dici possunt, quorum aquæ, id est cognitiones in iis contentæ, si venenaræ sint, ii, qui inde bibunt, non levi certè discrimini exponuntur.

SCHOL. 2. Nolim tamen ex hoc inferas, quod omnes Libri nocivi esse possint; dantur enim, & hodie ferè sine numero dantur tales, qui nonnisi cognitiones bonas & salutares in se conti-

tinent: hos pro variis suis objectis, de quibus tractant, sanctuaria purissima Fidei, muros correctores morum, defensores publicae Majestatis appellare necesse est. Sunt, qui tranquillitatis in civitate tutelam agunt, qui ut communis felicitatis receptacula singulis Reipublicae membris turò aperiuntur, qui juventutem facit instruunt, ut boni Christiani & boni cives fiant, qui vindicum juris & justitiae vices gerunt, sunt denique tales, qui si afferrentur, solaria innocentissima senectutis, sinceri consolatores dubitantium, instrumenta discentium, sicutque si non penitus, plus quam dimidium communis boni afferretur. Hos autem nocivos esse nonnisi illi tuentur, qui solam ex natura ipsa & experientia legendum plurimas autem scientias & artes Reipublicae nocivas esse somniant. Vid. Schol. §. III.

SCHOL. 3. Aequè male exinde concluderetur, nonnisi per Libros intellectum, voluntatem, & actiones nostras depravari posse. Attamen fateamur, quod, si mala exempla, si perversæ loquelæ &c. eò multum contribuere possunt, de quo nemo dubitat, certè plus periculi ex parte Librorum sit: mala exempla coram aliquibus fiunt, loquela transiunt, sed quæ scripta sunt Litteris, permanent, & suo modo æternizantur, præterquam quod omnibus facilimè communia fiant, ita ut non unâ, sed mille vicibus relegi possint; hinc si ibi justè timetur unum aut alterum damnum, hic mille timenda sunt.

§. LVII.

THEOREMA II. Possibile est Libros impedire perfectionem Reipublicæ ex natura sua.

Libri damna post se trahere possunt, quia in se malas continent cognitiones, ut mox ante demonstratum venio, jam autem in tanta Librorum multitudine, quam hodie numeramus,

G

exi-

existere plures , qui cognitiones imperfectas , aut modo saltem imperfecto expositas continent , plus quam evidens est ; ponamus igitur , membra Reipublicæ , quibus curæ est cognitiones suas perficere , iisque partem debitam communi bono conferre , in hujus furfuris Libros incidere , nunquid aquam limpidam ex fonte turbido haurient ? vid . § . XXVIII . planè ut ex prioribus cognitiones positivè damnosas , ita ex his tales , quæ eorum imperfectionem aut promovent , aut continuant saltem , sibi appropriabunt ; Ast hoc ipso perfectio eorum impeditur , ergo per Libros perfectionem Reipublicæ impediri possibile est , quod erat demonstrandum .

COROL . Etiam hic & in sequentibus illa diversitas benè attendenda est inter magis & minus ; quò plures scilicet , quò magis imperfectæ sunt cognitiones in Libro , èd aptior est ad perfectionem nostram impediendam .

SCHOL . 1. Scio equidem commune illud & decantatum ^{satis} adagium , quemlibet Librum , utùt miserè conscriptum , quædam in se bona continere , quæ per assiduitatem nostram colligi , & ad expositionem intellectus nostri consarcinari possint , sed non cogitant , aut non sciunt , hujusmodi nimis teneri misericordium patroni laboriosa hac collectione plurimum saltem , sèpè omne tempus in vanum consumi , progressus colligentium instantium retardari , in quantum per Libros meliores potuissent accelerari . Non amplius versamur in illa penuria Librorum perfectorum præteriti temporis , sèculum nostrum in hoc genere satis fœcundum est : ad quid denuò colligere , quæ jam felicissimè collecta sunt ? qui seriò ad finem tendit , viam jam emensam non reperit ; aliud dicendum foret , si in certa quædam disciplina eruditioñis Libri perfecti nondum darentur .

SCHOL.

SCHOL. 2. Si quis dubitaret de possibilitate in hos Libros incidendi, videat is plerasque privatorum Bibliothecas, videat Librariorum officinas, eheu quot merces vilissimae, quæ eò libentiūs comparantur, quò minus caræ sunt: si afferrentur exinde duæ tertie, de quorum vilitate certò constat, sic implerentur vota saniorum litteratorum, & facultas esset etiam eos, de quorum valore decisum nondum est, à perfectis disernendi.

³ SCHOL. 3. Quò magis verb Libri ejusmodi perfectionem ci-
vium impedit nati sunt, eo fortius eos prohibendi jus inde
exurgit. Editi semel & saniorum aliquot Lectorum oculis, ju-
dicio & crisi subjecti equidem sua se vilitate ac inutilitate ple-
rumque ipsi damnant, & imprudentis aut decepti Librarii pe-
num bursamque gravant; cùm vero irreparabile damnum sit,
quod juventuti tanquam Reipublicæ seminario, ex jaictura tem-
poris & solidorum principiorum aut introductionis defectu ac-
cedit, maximè in id incumbendum, ne huic viles ejusmodi
quisquiliae exponantur, quibus ingenia meliora collocata du-
dum infeliciter & otiosè industria stulto labore consumantur po-
tiūs, ac obtundantur adeò, ut solidis destituta elementis, neg-
lecto aut prærepto meliori tempore nullius posthac disciplinæ
perfectionem assequi valeant. In edendis sedula principis cura
præveniendo damnum Reipublicæ avertet, si cuique qui-
dem incipienti libera vires suas exercitandi facultas non dene-
getur, simul tamen cayeatur, ut nihil nisi severiori examine ac
censura discussum dignumque publica orbis litterati luce inven-
tum typis commendari permittatur. S. M.

§. LVIII.

Liceret jam etiam absolutè de Jure Libros quosdam prohi-
bendi concludere, cùm periculum perversorum effeetu
in iis latens detectum sit §. LVI. LVII. sed hæc nimis generalia sunt;
ut

G 2.

ut veritas magis eluceat, ambo hæc Theorematæ universalia in particulariâ dividam, planè ut supra Principia, quibus innuntur, in Corollaria divisa sunt. Sit igitur

§. LIX.

THEOREMA III. Libri Atheistici, Deistici, Idololatrici, omnèsque Gentiles, Hæretici, superstitiosi puritati fidei nocere possunt.

Cùm enim omnes isti Libri vel ex toto, vel ex parte cognitiones fidei contrarias in se contineant, vid. §. XIII. XIV. XV. quæ per suū communicationem in intellectu incauti Lectoris facilè mutationem producunt, vid. §. XXVIII. hic eas tanquam suas adoptando à vera doctrina Christi incipit dissentire, dissensus iste licet etiam in uno aut altero tantum capite factus puritati fidei obest vi §. LVII. hinc prædicti Libri puritati fidei obesse possunt, quod fuit demonstrandum.

SCHOL. I. Hujus sortis Libri ignibus fatuis similimmi sunt, sicut enim viator hos sequens in periculofissima sœpè abvia deducitur, ita debilis lector per splendida ast fucata & falsa illorum ratiocinia tenebris involvitur, dum lucem quærit. Neque hæc similitudo arbitraria est; tristia etenim in Ecclesia exempla restantur, viros etiam eruditissimos hujusmodi Libris deceptos esse: Sic Libri Nepotis Episcopi Orientem penè medium adduxerunt in partes Kiliastrarum: (a) sic Eutiches invictus anteā fidei defensor ad unam lectionem Libri cuiusdam Manichæi mutatus est in infandum caput innumerabilium hæreticorum: (b) sic alii innumeri viam veritatis deseruerunt, dum crederent eam in

in scriptis pessimis invenire. (c) Sufficiat nobis (omnes enim enumerare nimis prolixum foret) considerare multitudinem & constantiam errorum nostri temporis: hos certè nec ita multiplicatos, nec ita firmatos fuisse communis querela est, nisi post inventionem typographiae copia Librorum hujus generis & facilitas, quævis absurdæ sibi communicandi, infinitata fuisse.

SCHOL. 2. Hæc tamen nonnisi de Libris in prædictorum classem sine injuria referendis intelligenda sunt; vid. Schol. 2. §. XV. qui enim ex scrupulis vel melius ex ignorantia quorundam privatorum vel atheistici, vel hæretici, vel superstitionis &c. dicuntur, cum tamen cognitiones fidei contrarias non contineant, his sine læsione auctorum, ipsiusque Reipublicæ, quæ magnam spē ex iis utilitatem trahere posset, tales effectus imputari non possunt.

§. LX.

THEOREMA IV. Libri blasphemi, magici, obsceni, Libertini &c. sanctitati morum corrumpendæ aptissimi sunt.

Quod Libri §. præc. nominati in intellectum, hoc isti in voluntatem & actiones nostras operantur; cùm enim in iis contentæ sint cognitiones impuræ, expressiones nimis obscenæ, representationes actionum venearum nimis liberæ, malarum artium instructivæ, honori Dei audacter injuriosæ, denique Legum omnium contemptivæ, vi definitionum §. XVII. datarum, ponamus (quod totâ die accidit) eos venire in manus, præfertim incœræ, & de cætero ad malum jam satis propensæ juvenitatis, haec cognitionibus lectis phantasiam implebit, cùmque per imagines phantasticas passiones nostræ nimirum quantum incendantur, his cedendo actiones suas illis conformes, sicque

G 3

Legi-

Legibus difformes producet; sed hoc ipsum nihil aliud est, quam mores corrupti, vi §. LXVIII. hi Libri ergo corruptis moribus aptissimi sunt, quod erat demonstrandum.

COROL. His fœcibus adnumerari meretur plurima pars siccitorum Romanenium; licet enim modus, cognitiones experimur, stylum Romanenium ideo usurpari, ut imbecilles falso fugo fortius alligantur, & securius pervertantur; hinc sive ex toto, sive ex parte perversis cognitionibus repleti sint, semper periculosi sunt; adeo quippe assimilata est natura multorum insectis quibusdam, quæ ex floribus melle & felle mistis semper id, quod pejus est, extrahunt.

SCHOL. 1. Cognitiones istas aquas putridas bene dixeris, quarum Libri receptacula sunt, haec quoscunque meatus transeunt, putrefaciunt, ubique aliquid haeret; hinc justa est D. Justi opinio, (a) quod morum corruptio in Anglia (liceat mihi adjicere & in aliis, immo & nostris viciniis & regionibus) ad hunc gradum non ascendisset, nisi libertas infrœnisi scribendi, imprimendi & divulgandi Libros similes numerorum eorum quasi in infinitum multiplicasset. Hujuscemodi Libri calices Babylonis sunt venena propinantes, muti sunt revelatores, ea saepè manifestantes, quæ etiam maximè effrons sine horrore non protulisset vivâ vocie, horum ope in notitiam eorum pueri veniunt, quæ viris ignorare consultum esset.

SCHOL. 2. Plurimam partem Romanenium Libris morum corruptivis adnumerare non timui, et si D. Justi loco citato, dum de censura Librorum loquitur, objiciat immo, hoc modo tertiam saltem partem officinarum Librariorum evacuandam, secunda insigne hominum multititudini amata tempus transfigendi, argueat ad solidiorem lecturam pervenienti media adimenda esse. Quantum enim ad primum puto Libros non ad ampliandos the-

(a) Vid. justi L. supra §. LII. in Schol. cit.

fauros Librariorum, sed ad commune bonum, ad utile quod-dam cognitionum humanarum commercium inventos esse; vid. sup. §. VII. VIII. &c. Officinæ autem ad hoc bonum facilitandum inititutæ sunt, qui finis cùm non obtineatur, imò vero obstaculum patiatur, per prædictos Libros, Librarii ex iis lucrari non debent: Lucrum hoc mammona iniquitatis est.

Quantum ad alterum, æquè parùm fundata est formido D. JUSTI; cùm enim non omnes Romanenses ad hanc classem referri possint, & de cætero Libri utiliores & amoëiores in abundantia habeantur, otiosi non erunt, quorum occupatio etiam unica Librorum lectione esset.

Quantum ad tertium, si etiam verum fieret, quod sperat D. JUSTI, & hoc modo multos ad lectionem solidiorem perduci (quod tamen raro contingit, eo quod intellectus fictis Romanensium ideis inescatus reflexionibus solidis difficillimè delebetur) si, inquam, etiam verum fieret, nunquid medium hoc proportionatum est: Libros periculosos lege, ut gustum lectionis solidioris acquiras? hoc modo reædificaretur illud principium Juri Naturæ apertè contrarium: *Facienda sunt amala, ut eveniat inde bonum: Nemo vadit ad mare, ut patiatur naufragium, & sic natare discat.*

§. LXI.

THEOREMA V. Libri Machiavellistici, Monarchomachistici, tranquillitatem publicam turbare possunt.

Primi enim ex definitione sua §. XX. data Superiori cognitio-
nes subministrant, vi quarum ejus potestas limitibus etiam naturalibus expers pronunciatur, hinc, si accidat, Principem quendam (qui propterea, quia Princeps est, fines humanitatis egressus non est) ambitiosum gubernacula tenere, hunc cognitio-

tiones similes inclinabunt ad despotismum, ad tyrannidem; cæteri autem dum populo infrænem licentiam tribuunt Superioribus resistendi, eos deponendi &c. vi ejusdem §., ab eo tantò faciliorem applausum inveniunt, quantò magis plurimi portandi Superioritatis jugi jam pertæsi sunt; ex utrisque igitur nifus inordinatus ex una, ex altera parte resistentia consequitur, sic animi contra animos excitantur, quilibet in prædictis Libris actuum suorum justitiam querunt, iisque eò pertinaciùs inhaerent, quò magis colorata sunt eorum fundamenta, quibus decepti sunt; sed quis non videt bellum quoddam intestinum sic instrui, totiusque reipublicæ hactenus possessam tranquillitatem periclitari? hisce Libris ergo tranquillitas publica turbari potest, quod erat demonstrandum.

SCHOL. Ad confirmationem primæ partis hujus Theorematis illustrius nihil afferre possum, quam sententiam, quæ ex calamo coronati Præcipis simul ac Philosophi fluxit: Verba ejus (quæ, quia à Principe emanarunt, hoc ipso majus pondus habent) hæc sunt: (a) *Librum Machiavelli* (quidni & de cæteris inde nomen suum mutuantibus id ipsum intelligi possit?) semper Libris accensui periculosisimis, qui unquam in mundo divulgati sunt. *Liber* est, qui planè naturaliter incidit in manus Præcipum atque Politorum, & hoc ipso nihil facilius est, quidm Præcipem juvenem, cuius intellectus inter bonum & malum nondum satis discernit, per regulas passionibus suis adulantes corrumpi. Describit exinde pessimas sequelas instruētionis Machiavellisticæ, & miserrimum statum subditornm sub Principe Machiavelli discipulo, quorum rationem in prædictis Libris querendam aestimat.

Quoad

(a) Vid. præfat. ad Antimach. circa medium.

Quoad alteram partem quotidiana experientia testem agit: quot motus variis in Regnis paucos intrà annos audivimus? horum in originem dum inquire solet, Libri sèpissimè ut auctores eorum principales accusantur, adeò communis est opinio de efficacia eorum in corda subditorum.

§. LXII.

THEOREMA VI. Libri in Superiorem injuriosi, sive vitam, leges, aut modum regiminis universim tangant, auctoritatem & majestaten ejus minuere possunt.

Nam si vita aut mores litteris contemptilibus in Superiore depinguntur, si leges ejus tanquam injustæ, damnosæ aut inutiles traducuntur, si modus regiminis ejus tyrannicus, debilis aut neglectus quocunque modo dicitur, & subinde ad speciem ut talis lectoribus comprobatur, quod ipsum fieri in prædictis Libris ex eorum definitione manifestum est (vid. §. XX. Schol. 1.) nunquid legentium amor, quo Principi haec tenus amatissimo sibi viso tenerimè addicti fuerant, comparente nunc (ut ex Libris colligitur) bonæ & immeritæ existimationis, ut pote sine qua nullus amor possibilis, fallaciâ, refrigescet: salutaris timor degenerabit in diffidentiam de felicitate sua sub tali Principe ulterius promovenda, fervor obedientiæ languescere in tantum incipiet, quantum legibus injustitiae inesse, etiamsi falso, creditur; pars ergo eas planè contemnet, pars iis occulte se subducet, dummodò impunè possit, pars Principi muneris sui planè indigno, qualem Libri eum docuerunt, centies maledicet; sed hæc omnia, siquid video, diminutionem au-

H eto-

Eutoritatis & majestatis in eo innuunt: hinc, prædictis Libris adscriptum convenire effectum, demonstratum est.

COROL. Cùm Libri in Ministros publicos ut tales injuriosi etiam in ipsos Superiores injuriosi censeantur (vid. §. XX. Corol.) Libri autem satyrici sèpè hoc vitio non careant, etiam his præmemorati effectus justè imputantur.

SCHOL. Exinde non sequitur, omnem Superiori aut Ministris ejus extravagandi Licentiam esse relictam, quin remedium ullum, possibilibus eorum exorbitantiis obveniendi, superficit: viæ adhuc magis congruae dantur, quibus ad finem perveniri possit, tutius occultæ remonstrationes, &c. quam publicæ accusations adhibentur; Hæ ultimæ plerumque desideratum effectum non habent.

§. LXIII.

THEOREMA VII. Libri famosi, contumeliosi, sic dicta scripta pasquinica, schedæ diffamatoriae &c. bonam famam Membrorum Reipublicæ lèdere possunt.

Bona fama nostra consistit in bona existimatione, id est iudicio aliorum de perfectionibus nostris (*a*) & in tantum circa eam lèdimur, in quantum bona existimatio de nobis in aliis minuitur; (*b*) ponas igitur, in Libris aut schedis exhiberi aliis cognitiones (etiamsi falsas) de imperfectionibus nostris, facillimè con-

(*a*) Vid. DAN. NETTEBLADT Syst. Juripr. Nat. P. 2. §. 18.

(*b*) Conf. L. B. de WOLFF. Inst. J. N. P. 1. §. 88. & 125. 126.
Item DAN. NETTEBLADT. Loc. cit. §. 19.

consequens est , ut Lectores conformiter ad ea , quæ lecta sunt ,
judicium hactenus de perfectionibus nostris habitum mutent ,
ac in contrarium de imperfectionibus nostris nunc judicare in-
cipiant , (vid . § . XXVIII .) sicque hoc ipso bona fama nostra læ-
datur . Cùm igitur in prædictis Librorum specibus seductivæ
eiusmodi & perfectionibus nostris ita contrariæ cognitiones ex-
ponantur , vi § . XIX . per eos fama nostra lædi potest , quod
erat demonstrandum .

SCHOL . Si per vivam vocem , per verba contumeliosa , per
Discursus diffamantes existimatio bona unius in mente alterius
variari & minui potest , quantò magis vituperia scripta , detrac-
tiones litteris annotatae idipsum operari poterunt . Nulla inter ut-
rumque differentia , nisi quòd effectus iste per Libros timescen-
dus multò generalior & longævior illo sit ; cùm enim Libri plu-
rimorum in manus incident , generalior , cùmque etiam com-
pendia ista vilissimarum contumeliarum in Bibliothecis locum
occupent , longævior effectus est , utpote qui Generationibus
etiam futuris communicatur . Insuper bona Fama per Libros
adempta difficillimæ reparationis est ; si enim naturalis nostra
superbia vix patitur , ut detractionem penes unum aut alterum
factam revocemus , quantò minus injustitiam nostram coram mul-
tis confirebimus , quod tamen ad reparandam læsionem absolu-
tè necessarium est .

§. LXIV.

THEOREMA VIII . Libri malè scripti , sicque confusi , obscuri ,
non solidi augmentum scientiarum impedire , & jacturam
temporis parere possunt .

Scientiae nostrae tunc augeri dicuntur, quando plures, quanto distinctorum rerum ideas acquirimus, quando veritatibus jam cognitis veritates superaddimus, quando in detegendis veritatum rationibus ita progredimur, ut in earum rationes sufficienes, à sufficientibus ad ultimas penetremus; libros memoratos autem unum aut alterum impedire posse, manifestum erit consideranti, quod obscuri hoc ipso, quod contenta sua sub tenebroso involucro Lectori exhibeant, vi §. XXX. tantum sèpè temporis & studii ab eo requirant ad aliquas solum ideas aut veritates intelligentias, quantum alias ad mille clare explicatas sufficeret, hi ergo idearum & veritatum pluralitatem: *Confusi*, cum cognitiones in iis sine ullo ordine commissa sint, sine ordine eas Lectoribus communicant, §. XXX. hi ergo earum distinctionem: ex non solidis, quia in rationibus veritatum deficiunt (§. cit.) etiam Lectores eorum ulterioris penetrationis sèpissime incapaces similiter deficere assuescunt; hi ergo profunditatem cognitionum nostrarum impedire possunt, ac proinde etiam scientiarum augmentum: consequens est, quod, si tempus illud, quod (ud posset) ad nostram & Reipublicæ perfectionem non impendiatur, pro perduto reputandum est, etiam hoc, quod lectione similium Librorum consumitur, maximam saltem partem perditum dici possit, atque sic ex eodem uno fonte duplex in Theoremate assignatus effectus ex prædictis Libris fluere potest, quod erat demonstrandum.

SCHOL. I. Supponitur in hoc Theoremate (& quis illuminatissimis hisce temporibus sine invidia non supponet?) Libros circa singulas eruditionis disciplinas suo modo perfectos extare; si tamen circa objectum aliquod scientificum Libri non nisi obscuri, confusi, superficiales, & non solidi reperiarentur, per se patet,

Pater, hos potius legendos esse, quam nullos, usque dum ad perfectiores perveniantur, in hoc casu Instrumenta planè apta non sunt, sed nec omnino inepta: per gradus itur ad sublimia, quæ tempora nostra non attigissent, nisi eandem viam gressi essent aurearum scientiarum & artium inventores, restauratores.

SCHOL. 2. Etiam negari non potest, plures inter Viros eruditissimos ex Libris imperfectissimis multum profecisse; ast exinde plus non sequitur, nisi quod periculum damni adeò generale non sit: naturalis quædam ingenii felicitas, ac studii affiduitas supplere sæpè solet id, quod in mediis deesse experimur. Ad hæc Reipublicæ indemnitas exinde nondum probatur; quantum enim & ad sūi & Reipublicæ perfectionem afferre potuissent ii ipsi, si viâ planâ & rectâ ivissent, qui per horrida & aspera tantum emenfi sunt stadium. De cætero valde rari sunt Heroës litterati, qui memorato tramite incesserunt: qui vel parùm in Historia litteraria versatus est, tacitè subin erubescit, æstimatisimorum aliàs Scriptorum opera ex defectu aut claritatis, aut soliditatis, aut ordinis vilipensa & contempta esse, imò odiosa.

SCHOL. 3. Fortè propriæ Dissertationi per hoc sententiam dixi; sed iesto, non irascar, dummodo omnia scripta similis farinæ meliori sorte non gaudeant: Accendat hæc ignem, ut cætera comburantur.

§. LXV.

Haec tenus de Libris, qui ex natura sua nocere possunt, cum ratio damni sufficiens in ipsis Librorum contentis lateat; sed & quædam Libris extrinseca, quædam Circumstantiae, quædam Libris accidentalia sunt, ob quæ, licet non omnibus & semper, subinde tamen & aliquibus periculosi esse possunt. Unde & de his quædam magis specialia dicenda sunt, hinc sit

H 3

§. LXVI.



§. LXVI.

THEOREMA IX. Libri quidam periculum damni secumferunt ex accidente auctorum.

Nam Libri quoad auctores suos considerati sàpè anonymi sunt, vel pseudonymi, sàpè infideles, sàpè hæretici &c. vid. §. XXIII. & XXIV. anonymi & pseudonymi (quamvis non raro aliis sub rationibus tales sint) hoc ipso, quòd auctores eorum publicam lucem timeant, suspecti tenoris esse non inaniter creduntur. Experienciam docti sumus, absurdissima te&to auctio nomine prodisse: Conscientia propria ipso factò eos judicavit reos mali, cuius se auctores fateri erubuerunt; infideles vero aut hæretici zelo quodam ingenioso errores suos magis diffundendi scriptis quibuscumque de se ad speciem indifferen-tibus falsa sua Principia hinc inde inserunt, & ut minùs timeantur, sub titulis honestissimis occultant. Hæc eò periculosiora sunt, quo minùs advertuntur: velut angues in herba latentes sàpè sensibiliter jam nocuere, antequam cognita sunt. Verum igitur, quòd Libri etiam ex accidente auctoris periculosi esse pos-sint, quod erat demonstrandum.

SCHOL. 1. Si hujusmodi Libris approbatio publica acceſſerit, periculum cefſat, utpote quod in ſuspicione tantum, attamen rationabili fundatum erat.

SCHOL. 2. Utrum hoc idem periculum subsit, si editores Librorum infideles aut hæretici &c. sint, afferere non audeo, quia hoc periculum remotissimum est, & ſuspicio irrationabilis videatur: Malum accidentale, ut prudenter timeatur, ſaepius accidere debet in iisdem circumstantiis.

§. LXVII.

§. LXVII.

THEOREMA X. Libri periculum damni secumferunt ex accidente personæ legentis.

Nam cognitiones quorundam Librorum possunt ita esse sublimes, ut nonnisi à sapientibus ritè intelligentur, debilibus ingenio autem scandalô sint, illis veritatem illustrent, hos autem in errores deducant (*a*). Quidam mysteria naturæ adeò exhibent, ut aliquibus adjumento sint utilitatem publicam promovendi, aliquibus occasio gravissimarum tentationum (*b*). Licet igitur nullatenus dici possit, ejuscemodi Libros simpliciter periculosos esse, nihilominus si relativè ad debilitatem legentium considerentur, pro talibus haberi posse æquè parùm dubitatur, ac supra de veritate §vi LIX. & LX. perinde enim est, unde effectus suam originem trahat, si malus sit, origo periculosa dicitur. Igitur, Libros in dicta circumstantia periculosos esse, negari non potest.

§. LXVIII.

THEOREMA XI. Libri periculum damni secumferunt ex accidente loci.

Licet

(*a*) Inter hos numerantur plures loci S. Scripturæ, & præcipue Cantica Canticorum, quorum lectio promiscua etiam Judæis jam periculosa visa est, unde ea nonnisi provectionis ætatis viris permittebatur: Item primis Christianis. Vid. SCHELSTRADT, quadam occultata sunt.

(*b*) Ita Libri Medicorum, Chirurgorum &c. ejusmodi sèpè exponunt, quæ legere non expedit omnibus.

Licet enim locus Libros nec mutet, nec variet, ultrò tam
men admittitur, Librum sustinentem potestatem populi in regno
democratico aut mixto quietem publicam consolidare potius,
quam turbare, dum in regno Monarchico auctor ejus tanquam
invasor Jurium legitimi Superioris haberetur; sed etiam vice
versa in statu monarchico is, qui infrauenatam unius voluntatem
pro summa Lege habet, in omnibus defensor publicæ Majesta-
tis declarabitur, dum in regno democratico uno ore contra il-
lum tanquam furem libertatis suæ reclamabunt. Vid. §. LXI.
in Anglia certè scriptum Regi soli omnem tribuens potestatem,
in Gallia eam dividens inter Regem & populum sine dubio
motus ficeret, & in Italia, illisque Provinciis, ubi Principia re-
giminis monarchici summo Pontifici in universam Ecclesiam com-
petentis recepta sunt, Libri ea impugnantes totam sollicitudi-
nem inquisitionis excitarent, dum alibi virgam censoriam non
tantum effugiant, sed etiam innoxie & salvâ conscientiâ ab
omnibus, à quibusdam utiliter & exigente ita munera sui ratione
laudabiliter legantur. Multum ergo à locis dependet, ut Libri
pro periculosis habeantur, quod est demonstratum.

SCHOL. Plura certè accidentia possunt esse, & circumstantiae,
in quibus Libri periculosi videri possunt, has autem omnes hic
determinare nimis prolixum foret: mihi sufficit ostendisse, quod
non semper ex natura Libri, sed & aliunde damnum ex eorum
usu provenire possit.

§. LXIX.

Nunc demum etiam absolutè concludere licet: ergo Jus,
certos Libros prohibendi, negari non potest: ergo non fit
in-

injuria neque auctoribus, neque legentibus, si illorum opera his subinde subtrahantur: ergo non ex animo decipiendi, aut in errore relinquendi eos, quorum tamen interest: sed ad aver- tenda pericula & damna, hoc Jus exerceri, dicendum est: ergo non ad tollendam libertatem hominis, sed ad infrcenem ejus licentiam, in rebus fidei aut morum extravagandi, coercen- dam introductum est; posito enim, omne id prohibendi jus da- ri, quod Republicæ damnum aut positivum aut negativum cau- fare potest, vid. §. LV. demonstratum est, certos Libros utrumque operari posse. §§. LXVI. LXVII. ac insuper in quo hoc damnum consistat, magis determinatum §. LXVIII. & seq. LXIX. hinc penes Rempublicam tale jus existere, extra dubium esse, existimo.

COROL. 1. Ergo Libri atheistici, deistici, idololatrici, omnes- que gentiles, haeretici, superstitionis, prohiberi possunt. Vi §§. LIX. & XLVII.

COROL. 2. Ergo Libri blasphemii, magici, obsceni, libertini &c. prohiberi possunt. Vi §§. XLVIII. & LX.

COROL. 3. Ergo Libri Machiavellistici, Monarchomachistici, prohiberi possunt, vi §§. XLIX. & LXI.

COROL. 4. Ergo Libri Superioribus aut Ministris eorum inju- riosi prohiberi possunt. Vi §§. LXII. & L.

COROL. 5. Ergo scripta etiam privato contumeliosa, aut quocon- que modo diffamantia prohiberi possunt, vi §orum LXIII. & LI.

COROL. 6. Ergo Libri malè scripti, confusi, obscuri, & non solidi facta sub limitatione prohiberi possunt, vi §orum LI. & LXIV. Huc pertinet etiam pars sic dicti SCHOLII 3. §. LVIII.

CORO-

I

COROL. 7. Ergo Libri anonymi, pseudonymi, auctoris suspecti &c. prohiberi subinde possunt, §. LXVI. XLV. XLVII. & seq.

COROL. 8. Ergo Libri nimis sublimes certis personis aut locis destinati, ceteris subinde prohiberi possunt, vi §. XLV. & seq. Item §. XLVII. & XLVIII.

SCHOL. 1. Vix credo, Librum quendam periculosum esse, si non ad unam ex his classibus reduci possit, sique nec jus prohibendi dari, nisi circa nominatos, ita, ut, qui vel parum attendit, totum juris, quod in quaestione est, objectum uno hoc paragrapho perlustrare possit, dummodo bene discernat Libros, qui semper & omnibus nocere possunt, ab iis, qui subin & aliquibus; eatenus enim & jus prohibendi tantum temporale non perpetuum, particulare non universale adesse judicandum est.

SCHOL. 2. Ad magis singularia descendere possem, ac periculosissima cuiusvis classis opera illustrationis gratia recensere; sed quam facile etiam hoc fuisset, cum etiam leviter in Historia literaria versatus nostris praecipue temporibus in innumera hujus fortis genimina incidat, ultrò tamen ab hoc abstinui, ut potè qui Catalogum Librorum contexere nullo modo mecum constitueram, sed jus eos prohibendi in genere demonstrare.

§. LXX.

Eodem fundamento, quo pro Jure Libros prohibendi in generе §. præc. conclusum est, etiam pro variis ejusdem speciebus & annexis concludi posse manifestum est, hinc ulterius sequentia statui possunt consectaria:

CONSECT. 1. Non tantum Libri lectio, sed & impressio, divulgatio quoconque modo facta, imd & retentio eorum justè pro-

Prohiberi potest, vi §. XLV. Prin. 3. per hæc enim omnia datum per Libros timendum facilitari demonstratione non indiget.

CONSECT. 2. Ut Librorum usus justè prohibetur, ita & censurari, qualificari, affigi, confiscari, comburi, cæterūmque pœnæ tūm temporales, tūm spirituales, prout ad effectum consequendum necessarium visum fuerit, adhiberi possunt, vi §. XLV. Princ. 4. & §. XXXV. XLI. dummodò regulæ infrā de Exercitio hujus Juris tradendæ benè observentur.

CONSECT. 3. Cūm occultatio & expurgatio Librorum sæpè majorem effectum habeat quām totalis prohibitio, etiam hanc vel illam fieri posse indubitatum est, vi §. XLII. & XLIII. Item citat. Princ. 4. §. XLV.

§. LXXI.

Subjectum juris prohibendi Libros mihi illa persona est, à cuius statu dependet facultas, aliquam circa Libros omissionem præcipiendi. Expositâ igitur hujus Juris præsentia in Republica, & determinato (quantum fieri licuit) ejus objecto, etiam de subjecto ejus aliqua subjungenda sunt; cūm autem hoc jus non semper à statu unius ejusdemque personæ dependeat, claritatis causâ sequentes à se invicem separandæ sunt Propositio-nes.

§. LXXII.

PROPOSITIO I. Jus prohibendi Libros in genere competit Superiori Reipublicæ; ab hujus statu enim depender obligatio, pro felicitate & bono suorum subditorum vigilandi, damna avertendi, perfectionem promovendi, vi finis, ad quem constituitur.

stituitur. Hinc si clarum sit, Libros aut positivum aut negativum damnum subditis inferre posse, huic jus esse debet, eos prohibendi, eaque omnia adhibendi, sinè quibus ad finem vel planè non, vel non ita facilè perveniret: Hic ut reliquias Reipublicæ necessarias aut utiles Leges ferre potest, ita & eas, quæ Libros concernunt.

§. LXXIII.

Respública vel est sacræ sive Ecclesia, vel profana sive Civitas: utraque supremæ cuidam voluntati subordinata est, ad commune bonum suum asequendum, hinc Superior aut Ecclesiæ aut civitatis Superior est. Exinde sequitur

PROPOSITIO II. Jus prohibendi Libros Ecclesiæ nocivos Superiori Ecclesiastico, Civitati nocivos Superiori Civitatis competit; ut enim ille ad bonum Religionis, felicitatēmque spiritualem in Ecclesia, ita hic ad bonum temporale, utilitatem, felicitatēmque possibilem in Civitate obtainendam constitutus est; Si igitur Libri aut Ecclesiæ aut Civitati nocivæ dentur (de quo ex superioribus à §. LVI. usque LXIX. nullum dubium reliquum esse puto) cuilibet pro fine constitutionis suæ Jus, eos prohibendi, competere in propatulo est.

COROL. I. Libros igitur infidelium, hæreticos, morum corruptivos &c. variisque species sub his contentas, & suprà in Sect. 1. recensitas prohibendi, jus Superiori Ecclesiæ competit.

COROL. 2. Libros Machiavellisticos, Monarchmachisticos, injuriosos, diffamantes, malè scriptos, eorumque species pariter suprà recensitas Superior secularis prohibere potest.

COROL.

COROL. 3. Si mixti sint Libri, & in utramque Rempublicam malum influxum habere possint, quilibet, pro ratione sui interesse eos prohibendi, jus habet.

SCHOL. Quantum Libros Religionem sive Ecclesiam concorrentes attinet, si eos à Superiore Ecclesiastico prohibendos dixi, de jure proprio intelligendum est; jure enim advocatæ Superiori sæculari fine præjudicio Juris circa sacra idipsum competit; solet enim fieri, quod prohibitio Ecclesiæ solius effectum intentum non sortiatur, qui per dispositionem sæcularem mirabiliter promovetur; hinc Ecclesiæ indecorum non est, amplecti & osculari manus sæcularium auxiliatrices fini Ecclesiæ adeo salutares. Supposito ramen, quod quæstio: an Liber fidei aut Religioni repugnet, nondum decisæ sit, Judex sæcularis illum pro tali v. g. hæretico &c. declarare non potest; sic enim judicem ageret, non advacatum Ecclesiæ.

§. LXXIV.

Superior Ecclesiæ vel omnibus fidelibus præst, vel aliquibus tantum: In primo casu Superior universalis, in altero particularis erit; primo nomine Summus Pontifex tanquam Caput Ecclesiæ, & Concilium generale veniunt, altero autem quilibet Patriarcha, Archi-Episcopus, Episcopus, aut etiam Concilium particolare. Exinde sequitur

PROPOSITIO III. Summus Pontifex sit Caput Ecclesiæ, & Concilium generale pro omnibus fidelibus, Patriarchæ, Archi-Episcopi, Episcopi sive singuli, sive in Concilio particuli congregati pro latitudine Provinciarum aut Diœcesium Libros Religioni nocives prohibere possunt; nam sicut uni data est prærogativa & primatus potestatis, sicut in Concilio generali coadunata est po-



testas omnium Superiorum particularium, & sic in unam universalem coalescit, ita Episcopis pro assignata sibi totius gregis parte regimen commissum est, & in Concilio particulari plurium voluntas unam constituit pro latitudine Provinciae aut Dioecesos sua. Si igitur jus Libros prohibendi competit Superiori, vid. §. LXXII. & quidem, si Religionem concernant, Superiori Ecclesiastico, vi §. LXXIII. consequens est, Summo Pontifici & Concilio generali id ipsum competere in universam Ecclesiam, cæteris Superioribus tantum in particulares subditos sibi concreditos, quod erat demonstrandum.

COROL. Si Pontifex consideretur ut Patriarcha aut Episcopus Romanus, suásque prohibitiones ut talis promulget, per se patet, eas non nisi pro particulari sua Ecclesia constitutas esse.

SCHOL. Utrum in Legibus Librorum prohibitivis à Summo Pontifice etiam ut capite Ecclesiae constituendis Placetum Regium obtineat & an earum publicatio Romæ tantum facta sufficiat, nō viter hic examinari non meretur, cum etiam circa has Leges rationes illæ communes & naturales omnium Legum constitutiarum intercedant, Iquas ESPENIUS in Tractatu de Legum promulgatione & Placeto Regio solidissimè proposuit, (a) quas in Annotationibus ad Colleg. Juris Can. Illust. D. BARTHEL eruditissimè illustravit.

§. LXXV.

Superior fœcularis universi non datur, sed est vel hujus vel illius Regni aut Territorii Superior, ejusque potestas tota cum finibus Territorii sui in pari extensione est; inde venit

PRO-

(a) Vid. VAN ESPEN Jus Ecclesiæ, univ. Tom. 2.

PROPOSITIO IV. Superior sacerularis Libros Rempublicam profanam concernentes prohibendi jus habet pro latitudine Territorii sui. Patet hoc partim ex Propositione prima & secunda; quod enim Superiori (vid. Prop. I.) & quidem Superiori sacerulari in genere (vid. Prop. II.) justum est, etiam cuivis particuli non potest denegari: Si tamen leges Librorum prohibitivas ad subditos non suos extenderet, ab his ei impune non pareretur.

COROL. Licet ergo status diversi suas Commissiones erigant, quorum cura sit Libros perversos prohibere, per hoc ceteris prospectum non est. Contexant immensos prohibitorum Librorum Catalogos: sic lex unius aut alterius Territorii subditis constituitur, ceteris inter scripta indifferentia numerantur, nisi forte ipsi Legem aliorum etiam suam faciant per receptionem, de qua infra.

§. LXXVI.

Regna & Territoria plura sunt, quam ut ad singula descendere, singulisque eorum Superioribus partem Juris hujus universalis ipsis competentem assignare possim, sed & necesse non est; quae enim de uno particulari vera sunt, ad reliqua facile applicari possunt. Hinc pro Imperio nostro Germanico sit

PROPOSITIO V. Imperator aut solus aut cum Statibus Imperii simul sumptis in Comitiis pro toto Imperio, Status singulares, aut in Conventu circulari congregati, pro Territorio aut circulo suo leges Librorum prohibitivas ferre possunt. Licet enim potestas solius Imperatoris in Imperio illimitata non sit, multa tamen sibi reservata habet, inter quae Vigiliae circa Libros per constitutam commissionem specialem prohibendos meritò numeratur; & si-
cut

cut cum Statibus in comitiis, circa cætera negotia ita & circa Libros disponere potest. Status antem singuli de potestate gubernativa, Imperii (quamvis cum subordinatione ad unum) gaudent; planè uti Episcopis in Ecclesia, ita his in Imperio (quod multam cum illa-analogiam habet) pars sollicitudinis communis commissa est; hinc quod illis in suis dicecesibus, vid. Prop. III. idipsum Statibus in suis Territoriis salvo jure Imperatoris denegari non potest.

SCHOL. 1. Plures Status Imperii cùm non tantùm Principes sed & Episcopi sint, utramque facultatem conjunctam habent.

SCHOL. 2. An per se, an per alios hæc Jura exerceant, perinde est, dummodo eorum nomine & auctoritate fiat: Doctores privati Legem non faciunt.

SCHOL. 3. Scio, in aliquibus Regnis aliquibus temporibus totum negotium Librorum penes Ecclesiæ Commissarios fuisse; sed mihi hic non inquirendum, quid factum, sed quid circa prohibitionem Librorum justum sit: illud mox infra observabitur.

§. LXXVII.

Jus Libros prohibendi, & jus finem per prohibitionem intentum per media proportionata exequendi inter se connexa sunt, vi §. XLV. Prop. IV. & Schol. 2. item §. LXX. Quantum ergo quis Juris habet Libros prohibendi, tantùm etiam se extendit Facultas ejus, adhibendi media ad finem pervenienti. Exinde fluit.

PROPOSITIO VI. Superior Civitatis per temporalia, Ecclesiasticus insuper per spiritualia media finem prohibitionis suæ urgere potest. Utrique enim finem suum congruè & proportionatè persequi justum est; ast fini temporali (hic enim à Superiori Civitatis tantùm intenditur) media temporalia, spirituali etiam

etiam spiritualia proportionata & congrua sint; hinc illa primo,
secundo etiam hæc ultima adhibendi Jus est.

COROL. Censura, affixio, confiscatio, combustio, impeditio inve-
ctionis aut cuiuslibet divulgationis, retentionis &c. & civitati, & Ec-
clesiae congrua sunt, vid §§. XXXIV. & XLI. pœnae Spirituales au-
tem v. g. excommunicatio soli Ecclesiæ, vid §§. XL. & XLI. hinc se-
quitur, has à Superiore Ecclesiae tantum, illa ab utroque urgeri posse;
leniora tamen violentioribus preferenda, violentiora verò, si illa in-
efficacia sunt, amplectenda esse, infra ostendetur, vid §. LIX.

§. LXXVIII.

Expositis nunc etiam iis, quæ de subiecto Juris Libros pro-
hibendi servatis præscriptis limitibus dici potuerunt, restant
pro conclusione hujus Sectionis, quæ ad ejusdem Juris exerci-
tium spectant. Scio, alias ex eo, quod longè ante factum est,
pro Jure illud faciendi semper mira cum arrogântia concludere;
verum licet omnem vim huic argumento denegare non audeam,
circa prohibitionem Librorum tamen illud adhibere nolui, cer-
tus, quòd, si ex ratione fortiori & de se sufficienti Libros justè
prohiberi non ostenderem, nusquam illud concessum iri ex eo,
quòd semper & multipliciter, & rigorosissimè prohibiti fuerint.

§. LXXIX.

Exercitium Juris Libros prohibendi vel est modus ille determi-
natus Librorum prohibitionem in actum deducendi, vel
sunt ipsæ actiones, quibus Librorum prohibitiones fiunt. Si
quis levia fortè credat, quæ desuper dici merentur, fateor illi,
hoc Caput delicatissimum totius Dissertationis mihi visum esse,
perpendenti, quòd à legitimo hujus Juris exercitio vigor aut
contemptus dependeat, indéqué veniens obligationis gradus
infrā

infrà Sectione III. determinandus sit. In modo Libros prohibendi, non in ipso Juris usu tyrannidem se detexisse credunt multi: in incertitudine super id, quod prohibitum est, se relinquique runtur alii; parùm igitur, imò nihil omnino, me fecisse credere rem pro Jure suprà asserto, nisi & ejusdem aëtualem executionem pro modulo exponerem. Igitur primò in quibusdam observationibus id, quod ab antiquissimis temporibus usque ad nostra circa Libros periculosos dispositum fuit, recensebo, exinde regulas quasdam subjiciam, ad quas (salvo tamen meliori) hujusmodi dispositiones fieri justum est. Sit igitur.

§. LXXX.

O B S E R V A T I O . I.

Viix cœperant esse Libri, (a) & eorum jam aliquos communis faltem usui & lectioni substraxit provida & sagax antiquitas, eundémque morem sequentibus etiam temporibus continuavit; sic enim jam Ægyptii Libros quosdam habebant, quos solis Antistitibus legere licebat (b): Hebræi Libros suos cabalisticos nonnisi sapientibus legendos tradiderunt (c): Romani Libros Sybil-

(a) Vid. supra §. VI. Schol. 2. Item §§. VII. VIII.

(b) De hoc testatur Calasiris Sacerdos Ægyptius apud Heliodorum his verbis: *me dicente ea, quæ sciebam, & quæ de hoc flumine (Nilo) sacris Libris perscripta solis Antistitibus cognoscere & legere licet.*

(c) Vid MORHOFF. polyhist. Litt. L. 1. c. 10. §. 23.

Sybillinos diligentissimè inclusos tenuerunt (*d*): primi Christiani Libros Mysteria fidei altiora continentis catechumenis absconderunt (*e*).

SCHOL. Hæc Librorum prohibitio eorum occultatio potius dicenda est; vid. §. XLII. sed una alteri valde affinis est, finis antiquæ istius consuetudinis à fine nostræ prohibitionis subinde diversus erat, eoquod Sacerdotes Ægyptii scientias & Mysteria sua, quæ in Libris continebantur, plebi communicare nolebant, ut libi majorem penes illam aestimationem conciliarent: Romani Libros Sybillinos veluti pretiosissima sua cimelia perdere, primi Christiani cæteros per sublimitatem Articulorum fidei à conversione deterreri timebant &c. Hinc ista de stricta prohibitione intelligi non possunt, interim si justum est omnis rei originem ab ovo repetere, hæc tanquam initia Prohibitionis nostræ prodroma considerari merentur.

§. LXXXI.

OBSERVATIO II.

Subinde & Gentiles & Judæi ad Librorum combustionem jam progressi sunt; nam scimus, Scripta Protagoræ & Epicuri concremata esse apud Græcos (*f*): scimus rogo addicta volumina

K 2

na

(*d*) Vid. LACT. L. I. c. 6. ubi ait: *Sybilla Cumæa Libri à Romanis occuluntur, nec eos ab ullo nisi à Quindecimviris inspici fas habent.*

(*e*) Vid. SCHELSTRATE de discipl. arcani.

(*f*) Vid. Cicero de Nat. Deorum L. I. & LACTANT. de ira Dei c. 9.

na Numæ à Senatu Romano (*g*): scimus Libros Legis combustos esse apud Syrios per Antiochum Epiphanem; (*h*) plurāque alia ejusmodi exempla suppeditant illorum temporum & gentium historiæ (*i*); & hæ combustiones Librorum prohibitib⁹ nosstris æquivalebant, quamvis positivæ leges publicæ scriptæ & expressæ desuper non habeantur.

§. LXXXII.

OBSERVATIO III.

Consuetudo Libros præcipuè Religioni obnoxios comburen-
di etiam in Ecclesiam Christianam introducta est (*a*); cùm-
que experirentur sacrati ejusdem Præfules, quantum malum
concreditis fibi gregibus ex Librorum perversorum usu evenire
possit, eorum Examen inter communia Conciliorum, quæ cel-
santibus persecutionibus frequenter celebrari cœperant, nego-
tia reputatum est, ut communi consilio & auctoritate dijudica-
rentur; inde tot statuta Conciliorum Libros reprobantia (*b*),
quæ

(*g*) Vid. PLIN. L. 13. c. 13.

(*b*) Vid. L. 1. Mach. c. 1. v. 59.

(*i*) Apud BOEHMERUM J. E. P. L. V. Tit. VIII. de Hæret. §. 86. &
seqq. apud Ligorium de prohib. Lib. ZAHLEN Princip. J. Eccl. q.
IV. c. II. §. 5. de auth. S. P.

(*a*) Vid. Act. Apost. c. 19. ¶. 10. Item ALEXAND. ALEX. EUS. SOCRAT.

(*b*) Vid. Cap. Episcopus Dist. 37. & acta 1st Concil. Carthag. ubi
Libri Gentilium, 2nd Conc. Calcedon. ubi Libri Eutichetis, 3rd
Ephefini, ubi Libri Nestorii, 4th Conc. Nicæni I., ubi Libri Arii
damnati sunt &c.

quæ ab Imperatoribus tanquam Advocatis Ecclesiæ confirmata,
& hinc inde speciali adhuc Constitutione, aut etiam Librorum
combustione roborata sunt (c).

SCHOL. Mirum videri non debet, in primitiva Ecclesia adeò
frequentes & strictas Librorum prohibitions nondum fuisse fa-
ctas, eaque ferè unicè Libros Religionem concernentes tetigisse.
Ratio primi est in eo, quod nondum inventa Typographia, vid.
sup. §. IX. multiplicatio Librorum valdè difficilis erat; Ratio alte-
rius, quod noviter introducta Religio Christiana quasi unicum,
aut saltem principale objectum erat eorum, qui Libris occupa-
bantur.

§. LXXXIII.

OBSERVATIO IV.

Conciliis rariùs ac antea celebrari incipientibus, ut plura ne-
gotia in iis olim pertractari solita, ita & illud, quod pro-
hibitionem Librorum pro objecto habet, à Conciliis hactenus
pertractatum ad summos Pontifices devolutum est, à quibus
ab initio in suo Consistorio emanatis inde pluribus Constitutio-
nibus (d), exinde per inquisitores (e) & superadditam Con-

K 3

gre-

(c) Vid. 1^{mo} Const. Theodosii & Valentiniani ad An. 435. L. 6.
Cod. de hæret. 2^{do} Const. Arcadii ad An. 398. relata in Lege 34.
Cod. de hæret. 3^{ti} Conf. Constant. M. apud Socratem L. 1. c. 9.
item SOZOM. L. 1. c. 21.

(d) Vid VAN ESPEN, J. E. U. P. 1. c. 2. Item Dict. de Droit Canonique Art Consistoire. Item BOEHMER. I. c.

(e) Vid. FLEURY Inst. J. C. P. III, c. IX, §. 6.

gregationem S. Officii (f) expeditum est; Jure tamen reliquo-
rum, quibus id supra competere ostendi, (g) minimè dempto,
quamvis ab his rariùs exercitum sit.

§. LXXXIV.

O B S E R V A T I O V.

Inventâ Sæc. XV. Typographiâ, vid. Schol. §. IX. renascens
eo tempore Studiorum & Litterarum amor Scriptores & Li-
bros peperit infinitos, plurimi inter illos sine dubio reparandæ
felicitatis nostræ, quantum ea per cognitiones nostras adaugeri
potest, instrumenta fuerunt: horum ope humana ratio super-
deplorata undique temporum præcedentium ignorantia & bar-
barie gloriosè triumphavit hactenus, attamen hæc ipsa tantorum
bonorum origo, insimul occasio infinitorum erat malorum;
felicissimum enim hujus temporis inventum non tantum fertile
ad propagandas cognitiones utiles remedium, sed & spargen-
darum haeresum, alendorum vitiorum, omniumque monstrou-
farum intellectus humani opinionum propagandarum adjumen-
tum factum est ab iis, qui rebus optimis malè abutuntur (a).
Cura igitur eorum, qui præerant, circa Libros augeri, Censores
Librorum constitui, (b) Decreta Pontificum & Imperatorum
pro-

(f) Vid. ESPEN. I. c. Cap. 3.

(g) Vid. Sup. §. LXX. & seqq.

(a) Historia Reformationis in Germania susceptae per facta innumerabi-
lia hujus testis est veritatis.

(b) Vid. Const. Conc. Lat. V. ad An. 1515.

prohibitiva multiplicari cæperunt, (c) ac cùm difficile fieret, omnes prohibitiones diversim factas cognoscere & retinere, Libri prohibiti certo quodam ordine redacti in unum, id est, Indices aut Catalogi eorum facti sunt; (d) illi verò, qui paucas tantum

CO-

(c) Vid. 1^omō Const. Leon. X. ad An. 1530. 2^odō Bulla Cœnæ Dom. per Hadrian. VI. & Clement. VII. & pro nostra Germania vid. Const. in Comitiis Augustanis facta ad An. 1530. §. 58. & alia ad An. 1548. Tit. 34. Const. Spirens. ad An. 1570. §. 154. & seqq. plurésque aliæ in CRAMERS Nebenstunden 53ter Theil p. 139.

(d) Scio, jam ante hæc tempora Indicem quendam Librorum prohibitorum editum credi per GELASIUM I. ad An. 494. in Concilio Rom. I. referente sic Dist. 15. c. 3. Decret. Grat. hinc ejusdem jam supra in Observat. II. mentionem facere debuissim, ast quia supposititium eum existimat CAVE in hist. Litt. Script. Eccles. p. 289. eūmque Libros impropriè tantum prohibitos continere putat ESPENIUS J. E. U. P. I. C. IV. §. 2. & 3. hinc consultò ab ejus allegatione abstinui.
Primus ergo inter hujusmodi Catalogos memorandus est ille, quem publicavit Facultas Theologica Parisiensis An. 1551. (1).

ADNOTATIO. Catalogus iste tantummodo ut opus privatum Doctorum Galliæ considerandus est.

⁽¹⁾ De altero jussu Philippi II. Regis Hispaniæ An. 1558. publicato testatur SARPI (2).

ADNOTATIO. Philippus hic tanquam Advocatus Ecclesiæ ejusdem Decreta prævia sed dispersa jussit colligi, suaque etiam auctoritate roboravit; attamen pro suo tantum Regno.

(1) Vid. l' histoire abrégée de la reformat. du Pay-Bas. tom. 1. pag. 197.

(2) Fra PAOLO SARPI la Storia di Concilio di Trento. lib. VI.

*** Ter-

cognitiones periculosas in se continebant, de cætero tamen utilles esse poterant, expurgati sunt, unde Index expurgatorius Originem habet. (e)

§. LXXXV.

*** Tertium ad Philippi II. Exemplum confici curavit Paulus IV. per inquisidores Romanos S. Officii, & publicavit An. 1559. (3).

ADNOTATIO. Catalogus Pauli IV. ob adjeçtas nimis rigorosas quasdam Censuras saltem ex toto receptus non fuit, & per subsequentem Indicem Trid. absorptus est.

**** Quartus ex Commissione Concilii Tridentini, & jubente Pio IV. confessus & publicatus est paulo post Concil. Trid. dictus communiter. Index Concilii Tridentini. (4).

ADNOTATIO. Commissio conficiendi novi Catalogi Patribus Concilii ipsis data fuerat; sed cum hi post habitas quasdam Consultationes ex rationibus à Fra Paolo loco cit. allatis non possent convenire, ac insuper Negotiis gravioribus à longiori discussione impedirentur, Summo Pontifici res tradita est; Catalogus tamen ab eo confessus nec à Concilio approbatus, nec ejus auctoritate, multò minus ubique promulgatus est, neque de receptione saltem universalí ejus sufficienter constat.

(e) Duplicis Catalogi expurgatorii mentionem facit BOEHMERUS quorum alter jussu Ducis de Alba per Conventum Theologorum in Belgio, alter Romæ à Magistro sacri Palatii Joanne Maria Brasichellano publicatus est, & in Hispania postmodum augmentatus (5).

ADNOTATIO. Etiam hæc nonnisi opera privatorum erant, & maximè Censoribus Librorum destinata & utilia.

(3) Vid. SARPI loco citato.

(4) Vid. SARPI loc. cit.

(5) L. V. Tit. VII. de Hæret. p. 98.

§. LXXXV.

OBSERVATIO VI.

Omnis Catalogus Librorum prohibitorum eo ipso ferè tempore, quo finitur, incompletus esse incipit, nisi forte pruriens scribendi cum ipso finiatur; quām parūm enim bonum tricūm absque zizania, tam parūm diversissima intellectus humani germina pronascuntur, quin bonis vitiosa, adeoque noviter prohibenda se immisceant. Inde memoratis §. præcedentibus Catalogis paulo post promulgationem eorum idipsum accedit. Sextus V. igitur, ut huic defectui subveniret, Congregationi S. Officii, à qua cura Librorum, in Ecclesia saltem, potissimum haecenus habita fuit, novam Congregationem subsidiam Indicis dictam substituit (a), quæ cùm Cardinales S. Officii cæteris Ecclesiæ Negotiis impedirentur, Negotio Librorum unicè incumbenteret. Per hanc ergo prædicti Pontificis iussu Catalogus sic dictus Trident. auctus, ac postea Clementis VIII. iussu recognitus & Venetiis publicatus An. 1597. postea verò sub Innocentio XI. noviter editus usque ad An. 1687. producetus est, eique appendix adjecta ad An. 1704. (b) Novam

L

il.

(a) Vid. ESPEN. de Congreg. Indieis L. supra cit.

(b) Vid. BOEHMERUS I. cit. §. 97.

ADNOTATIO. Multū sollicitus fui in investiganda veritate quæstionum, an & quomodo ipsi hi ultimi Catalogi summorum Pontificum, & eorum additamenta publicata sint in Germania, quod ex eo præcipue Sectionis tertiae Caput de Obligatione nobis hodie

illius editionem cum variis additamentis habemus illam sub Benedicto XIV. factam (c). Imperantes etiam Germaniae nostrae, Negotium Librorum prohibitionem concernens majori sollicitudine nunc ipsi curare cœperunt per Fiscalem Imperii, & speciales Commissiones, Viennensem & Francosurtemsem, quæ hodie adhuc supersunt (d). Plures ordinationes & prohibiciones particulares vix non in singulis Germaniae Territoriiis factas esse, dubio caret: aliquas earum recenset BOEHMERUS; (e)

diè incumbente, determinandum sit; sed si (quod visum est) licet aperire, fateor, me in anxia quādam incertitudine desuper relictum esse, promulgationem expressam publicā auctoritate factam non inveni, & quām difficile est tacitam, quæ sit per receptionem, probare.

(c) Editio Romana in 8vo, novissima est de an. 1764.

ADNOTATIO. Circa hunc ejusque augmenta nullam nobis legitimam intimationem factam esse, dubio caret, & tempus post ejus editionem elapsum brevius est, quām ut exinde tacita ejus receptio probari possit.

(d) Vid. varii Recessus Imperii collecti à L. B. de CRAMER Westfalijsche Nebenstunden pte 53. pag. 139. & Capit. Cæsar. Art. 2. §. 7.

ADNOTATIO. Dum purat L. B. de CRAMER per duplicitis Commissionis ordinationem sufficienter prospectum esse Germaniae circa Negotium Librorum, de Libris profanis loquatur necesse est. Nam quoad eos, qui Religionem & rem Ecclesiasticam concernunt, ne sic quidem adæquatam parari medelam, facilè advertere licet; adhæc stante etiam toto laudati perillustris Autoris supposito, variæ tamen se exserunt circumstantiæ, quæ efficacem eventum sperare haud sinunt, dum invehendis, vendendis & legendis Libris multifariam nocivis firmus & promptus obex non ponitur.

(e) verūm has omnes enarrare nimis prolixum & superfluum fore; quādam ex constitutionibus pro patria nostra videantur (f).

§. LXXXVI.

Faetis hisce observationibus credent fortè nonnulli, me ad præcœs obſervatæ crisiſ processūrū eſſe; ſed quem de- muim fructū exinde ſperare liceret? ſi etiam circa quorundam Librorum prohibitionem excessiſ quidam (quod tamen demonstratu mihi faltem nimis diſſicile eſt) irrefeſerint, exinde nec iſpum juſ prohibendi inſringitur, nec etiam obligationem noſtrām inde ſolvi vel firmari ex inſra dicendis eluceſcet.

Interim per hoc minimè dictum volo, quod ex omnibus recenſitī legib⁹ obligatio noſtra jam certa ſit, aliis rationib⁹ quæ in paucis annotationib⁹ ſupra adjeſtis continentur, evincam, eas non omnes aut ſemper nos tenuiſſe, aut tenere hodie. Cæterū Regulas quasdam generales ſubjiciendas promiſi, ad quas prohibitiones Librorum impostaſ dirigi justum eſſet. Hinc ſit

§. LXXXVII.

REGULA I. Prohibition Librorum non fiat, niſi ex vera neceſſitate vel utilitate p̄aeponderante.

Cū enim nulla Lex, eoque hominis Libertatem Natu- rā ſibi debitam reſtringat, ſine ratione ſufficienti fieri debeat, & hoc quidem minūs, ſi ex Libertatis noſtræ uſu inſigne bo-

L 2

num

(e) Vid. BOEHMER loco citato.

(f) Mand. de 22. Febr. 1671. Inſtruct. Decan. rur. de 26. Mart. 1691. §. XXXIX. Inſtructio Parochorum de cod. dato §. XL. Decret. de 17. Maii 1751. &c.

num consequi possimus, id ipsum etiam de Legibus prohibitorii justum est, sed pro Justitia prohibitionum circa Libros factorum aliam rationem invenire non possumus, nisi periculum damni avertendum, id est necessitatem, vid. §. LVI. vel bonum promovendum, id est utilitatem; Principium tyrannicum enim: Stat pro ratione voluntas: refutatione non indiget. Cùm insuper his absentibus insigni bono, nempè communicatione bonarum cognitionum alterius priventur multi, consequens est, prohibiciones has non esse facienda, nisi ex necessitate vel utilitate. Falsa necessitas nulla necessitas, & utilitas, quam majoris boni amissione debemus redimere, nulla utilitas; igitur illa vera, hæc præponderans esse debet.

COROL. Libri igitur veritates adhuc obscuras quæstiones nondum decisas, opiniones licet controversas, licet opinionibus Censorum contrarias, ex capite necessitatis prohibendi non sunt: & prohibitio Librorum adhuc multum defectuosorum, si meliores circa veritates in iis contentas nondum darentur, in utilitate cerebrina se fundaret.

SCHOL. Urique facilis est, Regulam generalem statuere, quam ad Casus particulares eam applicare, sique veram necessitatem & præponderantis utilitatis gradum justè determinare. Ast hoc non meum, sed societatis ad hunc finem erigendæ, vid. Reg. V. officium erit.

§. LXXXVIII.

REGULA II. In prohibitione Librorum vitanda est laxitas & nimius rigor.

Laxi esse dicimur, & quidem circa Libros, si ea, quæ prudenter creduntur esse mala, pro bonis, illicita pro licitis, falsa pro

pro veris assumamus, aut toleremus: nimis rigidi vero, si per immaturam crisiñ damna ex innocuis violenter extrahamus, si verba in Libris contenta dupli sensu exponibilia ad pejorem detorqueamus, si ibi Monstra, Hæreses, Scandala &c. timeamus, & quæramus, ubi non sunt. Hinc in primo casu per defectum, in altero per excessum panditur via injustitiae: in primo quidem per defectum; cum enim per laxitatem tacite ut innocua approbentur, quæ ex majori fundamento judicantur esse perversa, omnes simul actiones huic approbationi innixaæ ut innocuaæ probantur, sique illi, quorum officium est cæterorum mala per Libros possibilia impedire, ad ea concurrunt, omniumque peccatorum inde sequentium correi sunt: in altero casu vero per zelum indiscretum, cui saepissimè annexus est amor proprius, plus malitiæ tribuitur Libro, quam illi revera inest, non tantum subsidium perfectionis nostræ per ejus prohibitionem assertur, sed & autores, editores, mercatores injustum bonæ famæ, licita utilitatis, saepè necessariae sustentationis insigne decrementum patiuntur. Sed manifestum est, haec omnia sollicitate præcavenda esse, hinc & clarum, laxitatem & rigorem in Librorum prohibitione vitandum esse.

§. LXXXIX.

REGULA III. Prohibitio Librorum non debet esse præcipitata, sed tamen prompta.

Prima pars hujus Regulae in execuzione duarum præcedentium auxiliatrix est, unde ejus valor ex veritate priorum ostenditur; quomodo enim cognoscent judices Librorum, utrum vera

vera necessitas aut præponderans utilitas adsit, quæ Librum prohiberi jubeat; aut quomodo laxitatis & rigoris duo extrema evitabunt, nisi prius maturo examine omnia discusserint, quæ damnanda vel approbanda sunt, nisi ad omnes circumstantias attentè reflexerint? pari facilitate decipimur, sive intuitu solius tituli speciosi, sive cursoriâ perlustratione Libri pretium ejus astimemus: Nec nomen Auctoris aut editoris jam cognitum, nec locus editionis (quamvis hinc inde suspicionem fundent, vid. §. LXVI. & LXVIII.) ad judicium de Libro ferendum sufficient, in casu præcipitantiae autem plus considerari nequit (aliás præcipitantia non erit) hæc ergo sollicitè declinanda.

Secunda pars filia est Regulae prudentiæ generalis longissimâ Experientiâ firmatae: quod nempè obveniendum malo, sed medicina paretur; atenim si hoc unquam verum, circa Libros indubitatum est: Ad quid prohibitio, si Libri usus jam factus sit communis, si cognitiones perversæ, propter quas merentur prohiberi, ignem jam accenderunt? si curiosi, & usque eò curiosi, ut sudantia adhuc impressa avidissimè perlegant, venenum jam luxerint, quis medebitur? scio etiam longè dilatum remedium pro paucis saltem adhibendum esse, sed cæteris damnum difficulter reparabile est; ut igitur præcaveatur, prohibitio prompta esse debet.

COROL. Prohibitio impressionis, aut, si hæc impediri nequit, venditionis, invectionis novæ in statum nostrum, facilior est quam solennis Libri affixio, & promptius fieri potest, hinc reliquis semper præferenda.

§. XC.

§. XC.

REGULA IV. Prohibitio Librorum non sit nimis vaga, sed circa objectum (quantum fieri potest) determinatum.

Determinari objectum legis dicimus, si tot signa ejus characteristicæ nobis proponuntur, quæ necessaria sunt, ad illud ab aliis discernendum, sicut cognoscendum, illud esse A. esse B. &c. Objectum igitur legis prohibitivæ Librorum tunc determinatum est, si tot signa eorum characteristicæ habemus, per quæ in notitiam venire possumus, hos, non alios Libros esse prohibitos. Ponamus jam ex lege prohibitiva quadam hæc cognosci non posse, quod necessariò fit, si relinquat indeterminatum objectum suum, cessabit hic omnis legis effectus, ignorantib[us] enim obligatio ex lege impossibilis est, & tamen ex dicta lege ignorans manebit omnis; in vanum ergo tales leges feruntur, ut potestate quarum inefficacia certò prævidetur. Hoc ut impediatur, objectum prohibitionis strictè determinandum.

SCHOL. Determinatio Librorum in genere, specie, & numero fieri potest: determinatio generica esset in hac v. g. Lege: Libri perversi prohibiti sunt; determinatio specifica in ista: Libri hæretici, obsceni. &c. prohibiti sunt; numerica verò in sequenti: Liber A. vel B. v. g. Machiavelli Princeps, le Poème sur la Religion naturelle &c. prohibitus esto. Si cui ultimam hanc determinationem in specie infima factam appellare libuerit, mihi perinde erit. De hac autem intelligenda sunt, quæ in Regula dixi; quis enim ex Lege prima aut secunda divinabit, à quibus sibi Libris abstinentium sit, vel omittere debet usum omnium, aut ei inquirere licebit, maline sint vel non, utrum ad Classem hæreticorum aut obscenorum &c. pertineant? Si ve-



velis ex relatione aliorum hoc discendum esse, renuit animus & ratio, scriptoris novellarum, aut cujuscunque Doctoris privati mentem desuper pro Lege habere; Superior, qui tanquam Jūdex & Legislator, agnoscitur, clarè & determinatè loquatur, si obedientiam desidereret.

§. XCI.

REGULA V. Prohibitio Librorum fieri debet per societatem virorum in omni genere scientiarum versatorum, prudentium, impartialium & liberorum à falsis præjudiciis.

Nam in superabundanti sæculi nostri scribacissimi Librorum copia, etiam in statu non adèo diffuso impossibile est, uni aut paucis tantùm, nociva ab utilibus secernere, expositionem & invectionem infectarum mercium etiam tardè impedire; plures ergo necessarii sunt, quorum finis unus eos socios esse jubeat, sique hæc societas ejusmodi membris constet, qui licet non singuli, (hoc enim pro brevitate vitæ & virium humanarum impossibile est) cuncti tamen in omni scientiarum genere versati sint, singulis sua portio negotii pro facultate, quâ pollent, distribui poterit, & si insuper in eorum constitutione respiciatur ad eorum prudentiam, impartialitatem, & libertatem à falsis præjudiciis, sperare licebit, eos non nisi ex vera necessitate & utilitate præponderante, vid. Reg. I. ad prohibitionem quamcunque processuros esse: hi seposito omni respectu humano impietà ex Laxitate non tolerabunt, sed & Limites charitatis nimio rigore non excedent: vid. Reg. II. hi nec præcipitantes nec tar-di erunt, vid. Reg. III. & cum sufficienti autoritate instructi sint, non

non erit necesse ultra eorum determinationem adhuc aliam inquirere.

SCHOL. 1. Distinctio statū in assumptione societatis hujus nulla facienda est, opinio enim, quod tota Eruditio penes Clerum resideat, jam diu antiquata est. Ad hæc non solæ rationes Religionis, sed & illæ, quæ Rempublicam profanam concernunt, ex suprà dictis sufficientes sunt ad Libros prohibendos. Sæcularia ergo sacerdotalibus, cætera Ecclesiasticis committenda; cùmque communiter mixta esse soleant, utriusque mutuo se consilio adjuvabunt, ne uni aut alteri parti præjudicium fiat.

SCHOL. 2. Peregrinus ille sit in re litteraria, & illuminatissimis nostris temporibus superbè invidiosus, qui constitutionem hujusmodi societatis impossibilem aut nimis difficultem putet ex defectu subjectorum: insigniter myops, qui eam superfluam credat, postquam sequelas ex Libris possibiles consideravit.

SCHOL. 3. Non à quovis Superiore hujuscemodi societatem erigendam esse ultrò patet, cùm sibi receptione Legum peregrinarum statuum vicinorum prospicere possit, dummodo eas feligat, quæ subditis suis admensuratæ sunt.

§. XCII.

REGULA VI. Prohibitione Librorum factâ, ejus executio fiat per media proportionata & sufficientia.

Si unquam oportet Principis voluntatem esse efficacem, id in prohibitionibus potissimum obtainere debet, quippe quod hæc nunquam sine ratione sufficienti fieri possint; hanc autem circa Libros reperiri ex funestis eorundem effectibus ostendi supra §. LVI. & seqq. Igitur voluntatem Superioris circa prohibi-

M

tio-

tionem Librorum oportet esse efficacem; quodsi verò experimur, eam non rarò negligi, Libros prohibendos noviter imprimi, prohibitos facillimè in quocunque Territorium invehī, plures promiscuè vendi, venditos sine scrupulis legi &c. nisi media his omnibus proportionata & sufficientia opponantur, consequens est, quod & ista adhibenda sint; ne in vanum lex facta esse videatur.

SCHOL. Utrum hoc illudve medium in datis círcumstantiis proportionatum sit & sufficiens, societati ad id institutæ, vid. §. præced. determinandum erit; in genere autem librorum impressioni primò, hæc si facta, saltem divulgationi, sique extranei sint, invectioni eorum obveniendum est, & quidem etiam sub comminatione pœnæ, confiscationis, pecuniariæ, combustionis, ac demum excommunicationis; quamvis hæc ultima hodie cautæ & rarò adhibenda.

§. XCIII.

Utrum praxis hodierna circa Libros prohibendos datis Regulis conformis sit, de hoc jūdacent alii magis illuminati; hoc unum mihi notum est, & dicere sufficit, plures desuper querelas fieri à nonnullis; alii enim Censores & Judices ad id constitutos nimii rigoris imò tyrannidis, alii laxitatis, alii partialitatis, alii præjudiciorum, alii defectus in requisita Eruditione accusant; alii ob leges fibi nimis vagè & indeterminatè positas queruntur, se in incertitudine & scrupulis relinqu &c. Verùm hæc fusius examinare non expedit; & quid si fundatas esse has querelas luce clarâ ostenderem, Jus Libros prohibendi inde non infringitur, semper pervenietur ad illam Regulam prudentiæ à Doctissimo FLEURY circa plures in Ecclesia introductas con-

consuetudines toties repetitam: *Tollatur abusus maneat usus;*
 hinc sufficiet mihi, si eos, quibus hoc officium incumbit, ad seriam hujus attentionem permovere potuerim, sublatio abusuum, si qui subsint, fortè ultra sequetur. Atque hæc omnia sunt, quæ de Jure Librorum prohibitionem concernente exponere volui. Restant nunc ea, quæ obligationem pro diversis circumstantiis inde resultantem concernunt, hæc ostendet

SECTIO III.

DE OBLIGATIONE EX PROHIBITIONE LIBRORUM POSITIVA RESULTANTE.

§. XCIV.

Obligatio est necessitas agendi moralis (*a*); agere autem dicimus vel committendo vel omittendo (*d*), hinc via obligacionis necessitamus ad aliquid committendum, & est obligatio affirmativa, vel ad aliquid omittendum, & est obligatio negativa: Illa ex legibus præceptivis: hæc ex prohibitiis venit; hinc obligatio ex prohibitione Librorum veniens est obligatio negativa, sive necessitas, aliquid circa Libros omittendi.

M 2

§. XCV.

(*a*) Vid. BAUMGARTEN Initia Philosophiæ practicæ Sect. I. c. I. §. 1o. & seq. & NETTELBLADT Syst. Jurispr. posit. Tom. I. Sect. I. Tit. I. §. 21.

(*b*) Vid. WOLFF. Syst. Juris Nat. part. I. c. I. §. 2.

§. XCV.

Jus leges ferendi, & jus alteri obligationem imponendi, si synonima non sint, certè ita inter se connexa sunt, ut unum sinè altero considerari nequeat, nisi velis, idem posse esse A. & non A. Hinc & lex & obligatio se mutuo inferunt: Illa ratio hujus sufficiens est, hæc illius sequela necessaria: uno momento incipiunt prohibitio ex una, & necessitas omittendi ex altera parte.

COROL. Perinde igitur, an à Superiore Ecclesiæ, an Civitatis Lex feratur, dummodo Lex reverà talis sit.

§. XCVI.

Demonstrato jam Sectione precedenti variorum Superiorum Libros prohibendi Jure, Jus simul suos subditos obligandi pariter ostendi, & cùm varias Leges per actuale hujus Juris exercitium progenitas quibusdam in observationibus jam enumeraverim, plures fortè facilè dijudicabunt, an aliqua, qualis, & quanta ex iis obligatio nobis acquisita sit; ulteriori igitur hujus materiæ disquisitione me posse supersedere credidisse, nisi quædam particularia non tantum de acquisitione hujus obligationis in genere & variarum ejus specierum, sed & de amissione ejus invenisse, quæ omnibus exponere non inutile erit.

§. XCVII.

Obligationem acquirere dicitur is, qui haecenus obligatus non erat, sed imposterum obligatus esse incepit; si igitur

tur obligatio necessaria sequela legis est, vi §. CXV. obligatio acquiritur, quamprimum lex esse incipit, sique etiam obligatio aliquid circa Libros omittendi cum ipsa lege Libros prohibente exoritur.

SCHOL. Ut supra Sect. II. §. XXXI. in Scholio annotavi de prohibitione positiva sermonem esse, ita & haec de obligatione positiva intelligenda sunt. Attamen ex hoc minimè inferatur, quod, nobis nullam esse obligationem naturalem, quædam circa plures Libros omittendi, stabilire videar; Imò vero positiva illam presupponit, & positiva adjicitur, ut illa magis firmetur & determinetur. Multi in multis casibus omnino incapaces sunt, obligationem suam ipsi investigandi, quam haberent, etiamsi Lex positiva non accederet, pro his omnibus Superiores vigilant, & Legem naturalem ad obiectum obvium applicant, nostramque obligationem particulariter certam reddunt.

§. XCVIII.

Nulla lex respectu nostri censetur existere, nisi à nobis cognoscatur; cum enim per illam naturalis nostra libertas restringatur, & imponatur necessitas aliquid committendi vel omittendi, ad quod committendum vel omissendum sine lege jus nobis esset, consequens est, illius notitiam in nobis requiri, vi cuius movemur, ut nos liberè ad commissionem vel omissionem hujus illiusve actionis determinemus; hinc nullam obligationem acquirimus sine lege cognita, nullam necessitatem, aliquid circa Libros omittendi, nisi lex eorum prohibitiva nobis innotescat.

SCHOL. Per se patet, cognitionem dubiam, & in rumore aut relatione Novellistarum fundatam, hic non sufficere, sed talem re-

requiri, quæ nos certos reddere possit, quæ auctoritate publicâ fulciatur, & gravitati actionis, quâ obedientia nostra requiri-
tur, proportionata sit.

§. XCIX.

Legem cognoscimus vel per ejus promulgationem, (quæ est actus, quo ad notitiam legis perducuntur, qui eâ tenen-
tur) vel per receptionem, quæ est actus, quo legi peregrinæ
vis obligandi penes nos tribuitur. Igitur obligationem nostram
circa Libros non acquirimus, donec lex eos prohibens nobis
promulgata vel recepta sit.

SCHOL. Leges aut obligationes nostras naturales, sicque & pro-
hibitiones Librorum naturales, vid. Schol. §. XCVII. hac viâ
non cognoscimus, has ingenita ratio naturam & essentiam rerum
diligentur perscrutando nobis intimat; eâ duce intuemur ex una
parte facilitatem errandi in intellectu, proclivitatem voluntatis
ad malum, debilitatem virium in resistendo tentationibus, cœ-
terasque nobis adhærentes fragilitates: ex altera parte considera-
mus Librorum perversitatem, periculum mali ex eorum usu im-
minens; cùmque jam aliunde simus certi, omnis mali pericu-
lum nobis vitandum esse, etiam de obligatione illud, quodd ex
usu Librorum venit declinandi, convincimur. Si circa Mysteria
Religionis & fidei non sufficienter instruëti simus, Libros infide-
lium, Indifferentiarum, hæreticos &c. quomodò securè per-
volumus? qui per discursus, repræsentationes obscenas &c.
ad peccatum simile incitatur, quomodò inhonestissimas sæpè Poë-
tarum, Romanensium præcipue exhibitones & narrationes abs-
que periculo perlustrabit? Verùm hæc digressio diutiùs con-
tinuanda non est, cùm de obligatione nostra positiva, non natu-
rali mihi sermo sit. Vid. §. citatus.

§. C.

§. C.

Uti promulgatio legum in genere, ita & earum, quæ Libros prohibent, variè fieri potest; vel enim voluntas Superioris in terminis intelligibilibus sive scriptis affigitur, sive vivâ voce majori minorive solennitate pronuntiatur, & est promulgatio propriè sic dicta, vel facto quodam, unde eam facile colligere licet, v. g. Libri combustione, confiscatione, aut relatione in Librorum prohibitorum indicem explicatur, & est impro priè talis promulgatio. Utraque ulterius fieri potest vel in singulis Provinciis, aut, si prohibitiones ecclesiasticæ sint, in singulis Dicecibus, si sacerdtales, in singulis Territoriis, aut in Metropoli, sive sede Superioris prohibitis tantum. An hæc, an illa circa Librorum prohibitionem necessaria, quæ sufficiat, multis expeditum non esse videtur; hoc tamen indubitatum manet, eam talem esse debere, per quam Communitas, cui lex fertur, certam & publicæ autoritati innixam legis notitiam accipere, nullamque ejus probabilem ignorantiam prætendere possit. Cum igitur per promulgationem sive propriè sive impropriè factam (quæ ultima tamen raro sine prima est) sati de voluntate Legislatoris edoceamus, etiamsi solennitates non accesserint, consequens est, utramque sufficere, ut cognitio legis §. præced. ad acquirendam ex ea obligationem requisita producatur, cum econtrariò moraliter impossibile sit, ut prohibitions, quibus Legislator plures sacerdotia Nationes, Provincias, Dicecibus & Territoria obligare intendit, per solam promulgationem in Metropoli, etiam solennissimè factam, dicto modo in-

innotescant (*a*), consequens est, hanc solam circa prohibitio-
nes Librorum non sufficere, nisi fortè pro Metropolitanis ipsis.
Nullam ergo ex prohibitione Librorum obligationem acquiri-
mus, nisi ex lege, non simpliciter, sed sufficienter promulgatâ.

SCHOL. Utrum promulgatio prohibitionis positivæ circa Li-
bros subin impediri Possit? an placeto regio locus detur? an ac-
ceptatio ex parte subditorum requiratur, ut effectum habeat?
hæc satis determinata videri possunt in Dissertatione Espenii de
promulgatione Legum, & de usu Placeti Regii speciatim super
proscriptione Librorum (*b*).

§. CI.

Altera via, quâ in legis cognitionem venimus, est receptio
ejus; hæc vel expressè fit, vel tacitè, prout nempe Supe-
rior legem peregrinam à se receptam esse verbis aut scriptis in-
telligibilibus declarat, vel talia facta permittit, aut ipse ponit,
unde, legem peregrinam ab eo approbari, dignoscitur: illa
promulgationi strictæ & propriæ, hæc minùs strictæ sive impro-
priæ, vid. §. præced. æquivalet; si igitur Superior noster pro-
hibitiones Librorum peregrinas tanquam suas expressè aut tacitè
recipiat, eodem vinculo ac per prohibitiones domesticas adstrin-
gimur, quia in his æquè ac in illis voluntatem ejus prohiben-
tem explicatam legimus.

SCHOL.

(*a*) Fisius de hoc vid. ESPEN Tract. de promulgatione Legum Ecclesia-
sticarum, & PETRUS DE MARCA L. 2. de Concord. Sac. & Imp. c. 15.
Nro 2.

(*b*) Vid. l. cit. ESP. J. E. U. T. II.

SCHOL. Cùm receptio tacita meris factis, & quidem pluribus
 (aliás enim voluntas Superioris exinde concludi non potest) in-
 nixa sit, hinc plerumque difficilimae probationis est, & obligatio
 nostra circa Libros peregrinè tantum prohibitos adeò dubia &
 indeterminata semper fuit, & hodie manet. Optandum igitur
 esset, ut Superiores aut ipfi Leges claras desuper promulgarent,
 aut si peregrinas sufficere, & suis etiam subditis utiles esse cre-
 dunt, eas expresse recipient.

§. CII.

Receptio legum Libros prohibentium in complexu fieri
 potest, vel in particulari, prout nempe vel totus quidam
 Catalogus Librorum peregrinè prohibitorum, vel una alterave
 lex, hunc illumve Librum prohibens, recipitur. Ut obligatio-
 nem nostram ex hac ultima receptionis specie venientem cogno-
 scamus, plus non requiritur, quām quæ §. præced. dicta sunt;
 sed circa primam subinde specialis difficultas se exserit propterea,
 quod complexus similiūm prohibitionum sive Catalogi simplici-
 ter, vel cum exceptione recipi possit. Hoc ultimum commu-
 nius est, eoquod vix unquam tota quædam Collectio legum
 etatui, pro quo facta non est, admensurata esse creditur. Hinc
 etiamsi de receptione in complexu facta certi simus, hæsitamus
 subinde, dubitantes, an hæc illave Libri prohibitio Catalogo
 recepto immista etiam nos tangat? Verùm huic hæsitationi jam
 præventum est per Regulam receptionis legum in complexu
 factæ generalem: quod nempe standum sit pro receptione sim-
 pliciter facta, donec exceptio inde facta probetur. Igitur ex
 receptione prohibitionum circa Libros sive in particulari, sive
 in Catalogo facta sit, obligatio nobis acquiritur, & quidem cir-
 ca

N

ca omnes Libros in eo contentos, nisi forte exceptionem probare possimus.

SCHOL. Ad similem Exceptionem probandam plus non requiritur, nisi id, quod & in probatione reliquarum Exceptio-
num, Fundamenta autem præcipue defumuntur ex ratione fa-
ctæ prohibitionis, quæ nos forte non tangit, ex circumstantiis
Temporis & Loci, aut etiam ex Factis contra receptionem lo-
quentibus.

§. CIII.

Ex iis, quæ hactenus de acquisitione obligationis (de qua hic sermo est) in genere dicta sunt, sequentes nunc Propositiones magis particulares, & pro nostra Germania maximè no-
tabiles facile eruuntur.

PROPOSITIO I. Si prohibitio Librorum Religionem concer-
nentium in Concilio generali, vel à Summo Pontifice tanquam
capite Ecclesiæ facta sit, & legitimè promulgata, omnibus Ec-
clesiæ subditis ex ea obligatio acquiritur.

Cum enim & Summo Pontifici & Concilio generali Jus
competat, leges Librorum prohibitivas ferendi, & quidem vi
potestatis & inspectionis generalis in universam Ecclesiam pro
omnibus ejus subditis, vid. §. LXXIV. Sect. præced. obligatio
autem necessaria sequela legis sit, vi §. LXXXV. dummodò le-
gitimè cognoscatur vi §. LXXXVIII. hæc cognitio autem na-
scatur ex legitima promulgatione, vi §. LXXXIX. consequens
est, ad acquirendam ex prædictis legibus obligationem univer-
alem nihil amplius deesse, quod erat demonstandum.

COROL.

COROL. 1. Si igitur prohibitiones quædam conceptæ solùm, planè non obligant, aut si tantummodo in quibusdam locis particularibus promulgatae sint, non nisi eorum incolas tenent, si Romæ tantum ad valvas quarundam Ecclesiarum affixæ, illæ Romanos quidem, sed non cæteras Nationes obligare possunt.

COROL. 2. Prohibitiones in Conciliis generalibus supra §. LXXXII. Observ. III. Littera (b) recensitis, omnib[us]que Conciliis subsequentibus, factæ, totam Ecclesiam obligant.

COROL. 3. Decreta SS. Pontificum Ecclesiis sibi subordinatis legitimâ promulgatione communicata omnem suam vim obligandi habent &c.

SCHOL. 1. Fortè pluribus servitium reddere potuissim, si non tantum Conciliorum, sed & Summorum Pontificum Constitutionibus circa Libros singularibus recensitis modum factæ promulgationis ubique addidisse; verùm præterquam quod hoc vires meas superaverit, ad hodiernam nostram obligationem determinandam necessarium non est; per subsecuros enim Indicces priores illæ Leges vel abrogatae, vel absorptæ sunt. Si igitur benè observemus, ad quid ex his obligemur, quod mox infra dicetur, etiam patescat, quantus ex Legibus præcedentibus effectus superfit.

SCHOL. 2. Prohibitiones Librorum pro universa Ecclesia latæ paucæ fuerant & insufficientes pro omnibus Ecclesiis, igitur eas, quæ pro Locis particularibus factæ fuerunt, hinc inde etiam Diœceses exteræ recenterunt.

§. CXIV.

PROPOSITIO II. Prohibitiones Librorum religionem concer-
nentium à Concilio particulari, aut ab Episcopo in sua Diœ-
cesi
N 2

cessi factæ, tobligationem producunt pro subditis Provinciæ aut Dicæcæs tantum, nisi forte & ab aliis recipiantur.

Ad veritatem hujus Propositionis demonstrandam vid. §. LXXIV. Seçt. præced. & §. XCIX. cum seqq. CI. Quorum comparatio quia facilis est, hinc à plena eorum allegatione brevitatis gratiâ abstinui, idque in sequentibus etiam observabo.

COROL. 1. Libri igitur in Gallia, per Inquisitiones in Hispania, aliisve Regnis etiam solennissimè prohibiti, propterea in Germania pro talibus haberi non debent, nisi forte & à nostris Superioribus prohibeantur.

COROL. 2. Inde venit, quod plurimi ex Catalogis supra Observat. V. Litt. (d) memoratis Germanos saltem vi promulgationis non obligent.

COROL. 3. Cùmque receptio eorum saltem universalis in Germania pariter probata non sit, vid. §. LXXXIV. obs. V. lit. (d) cum Adnot. etiam exinde obligatio Germanis determinata non est.

COROL. 4. Cùm insuper Regula IVta Indicis Trident ob celsan tem rationem ipsius Legis in praxi ultra non observetur, eam vel non receptam, vel saltem iterum abrogatam esse concluditur.

COROL. 5. Dum nullæ Leges magis nostræ esse possint, quam quæ intrâ muros nostros per sacratos Ecclesiæ Franconicæ Praefules publicatæ sint, ex illis nobis Franconibus saltem obligatio est.

COROL. 6. Facta in novis Editionibus Indicis Trid. augmen ta, cùm non sint legitimè publicata, nec recepta, vid. Observ. 6.



101

VI. §. LXXXV. Litt. b. & c. hinc circa illa etiam nobis obligatio acquisita, non est.

SCHOL. Quam Galli, quam Hispani &c. ex ejusmodi Catalogis obligationem acquisiverint, item quae in singulis Provinciis & Diocesibus prohibitiones speciales obtineant, singulis examinandum relinquo; satis difficultatis circa eam, quae nobis incumbit, expertus sum.

§. CV.

PROPOSITIO III. Prohibitiones Librorum sacerularia concernentium in Comitiis aut ab Imperatore per Commissionem Librorum factae pro toto Imperio Germaniae obligationem causant, diammodo legitimè promulgatae vid. §. LXXV. & §. XCIV.-XCVIII.

COROL. 1. Omnes igitur Recessus Imperii circa Libros aliquid disponentes, de quibus §. LXXXV. Litt. (d) mentio facta est, omnibus Germanis obligationem imposuerunt.

COROL. 2. Catalogus autem à Commissione Aulica editus Vindobonæ de Ann. 1765. sicuti ea, quae à Fiscali Imperii acta, aut per Commissarios Francofurtenses hinc inde disposita qualem effectum habeant, perse patet.

§. CVI.

PROPOSITIO IV. Prohibitiones Librorum sacerularium à Statibus Imperii vel in Conventu circulari, aut particulari Territorio factæ nonnisi subditos Circuli aut Territorii obligant, nisi forte ab aliis receptæ. Vid. §. LXXV. item XCIV. Cl. & seqq.

N 3

COROL.

COROL. Hinc Ordinationes, quas in variis Statibus vicinis factas esse per Novellas quotidianas discimus, respectu nostri steriles & in efficaces sunt. Sed & nostræ ultra Territorium Francicum non extenduntur.

§. CVII.

Consideratis nunc seriò omnibus hisce Propositionibus cum Corollariis inde deducetis, & aliis pro lubitu facile deducendis, verum manet, quod in Schol. §. CI. jam indigitavi, scilicet obligationem nostram circa Libros prohibitos positivam factis determinatam non esse. Mirum ergo planè non videtur, factas prohibitions à plurimis ignorari, ab aliquibus propter dubia circa unam & alteram etiam reliquas contemni, ab aliis quibus etiam illic tales formidari, ubi planè non sunt, (vid. Præfatio) ac propterea, si dignum videbitur his mederi, votum meum supra jam factum hīc repetere licet, ut Superiores nostri suos subditos aut viâ promulgationis aut expressæ receptionis desuper certos reddere velint.

SCHOL. Propterea tamen finē Lege non sumus: Lex naturalis, pericula vitandi, semper manet. Vid. §. LXXXIX.

§. CVIII.

Obligatio ex lege positiva veniens ut in genere, ita & illa, quæ ex prohibitione Librorum venit, diversa esse potest, & quidem (i) ratione actionis, quæ circa Libros omittenda præcipitur, hæc cùm possit esse impressio, venditio, retentio, lectio Librorum, vid. §. XXXII. Sect. præced. hinc totuplex potest

Potest esse nostra obligatio ; (2) ratione extensionis suæ, & ea-
tenus vel singularis vel particularis, vel universalis est, prout
nempe omnes, vel aliquos, aut unum determinatè tangit ; (3)
ratione durationis, & sic vel temporaria vel perpetua est, quan-
do limites durationis ejus definiti sunt vel non ; (4) ratione ad-
iectæ qualitatis, & tunc demum vel sub pœna, vel sub culpa,
vel sub utraque simul, prout quis prohibitioni contraveniens
reatum mali physici, vel conscientiæ, vel utriusque simul con-
trahit.

§. CIX.

Vi quatuor Propositionum mox ante præcedentium à §. CIII.
CVI. equidem suo modo cognosci potest, quando ex pro-
hibitione Librorum oriatur obligatio, & analiqua ex Legibus actua-
liter existentibus nobis acquisita sit; utrum verò hæc illâve obliga-
tionis species nobis incumbat, ex iis minimè clarum est, hinc ad-
huc aliquæ Propositiones subnectendæ sunt, in quibus non am-
plius renovandum illud dubium, an revera tales leges nos obli-
gantes existant; sed hæc in suo vigore esse supponuntur (quantum
potest) ex dictis, & tantummodo super earum tenorem refle-
ctendum est: qui cùm facillimè eruatur, si ad verba, si ad
rationem & finem prohibitionum attentio fiat, ex his, quod
indecisum est, dijudicabo. Sit nunc

§. CX.

PROPOSITIO V. Ex prohibitionibus supra recensitis & respectu
nostrî vim obligandi in genere habentibus non tantum ad
lectio-

lectionis, sed & retentionis, cujuscunque divulgationis, impressionis, omnisque actionis cum his connexæ omissionem obligatio nobis acquisita est. vid. §. CVIII. N. (1).

In plurimis enim prohibitionibus omnes prædictæ actiones verbis expressis nominatae sunt (quod patebit leges singulas inspicienti) & quidem Jure, vi §. LXX. Conf. 1. Sed si verbis etiam nonnisi unica expressa sit, ratio & finis prohibitionum, omnes subintellecetas esse, postulat. Ratio quippe earum est periculum damni sive spiritualis sive temporalis causandi, aut perfectionis nostræ impediendæ; vid §. LVI. LVII. & seqq. Hoc periculum quamvis in lectione potissimum sit, non minus tamen & in cæteris actionibus jam latet, utpote per quas lectioni via paratur, quod ultrò manifestum est consideranti. Ratio ergo & lectionis & reliquarum actionum circa Libros prohibendarum æqualis est; quorum autem eadem est ratio, de iis etiam in lege data dispositum esse creditur per Regulam interpretationis legum extensivæ generalem, licet non omnium mentio expressè fiat, adeoque & in prohibitionibus Librorum circa ea, quorum una est ratio, æqualiter dispositum esse credendum, sive uno eodemque actu omnes prædictæ actiones simul prohibitæ sunt, licet unius alteriusve tantum nominatio facta sit.

Clarius id ipsum elucet ex fine prohibitionum, qui cum sit damnum à subditis avertendum, aut perfectio eorum promovenda, vid. locus mox citatus; hunc seriò Legislator intendit, in quantum obtineri potest, adeoque vult ea etiam omnia, sine quibus obtineri nequit, & ea non vult, quæ fini suo contraria sunt, nisi forte concedas, quod non potes, eum velle tantum dimi-

dimidium finis adimpleri, aut eum velle ex una, & nolle ex altera parte. Jam autem omnes memoratae actiones fini prohibitionis Librorum contrariae sunt, & sine earum prohibitione simultanea ad eum perveniri non potest; ad quid enim prohibito impressionis, si, quod totā die sit facta impressione illicita liberè vendi, divulgari & legi possint Libri? ad quid prohibito novae editionis; si invectioni ex alienis terris non obveniat? Lectio etiam sola prohibita esset, quam facilē hujus Legis transgressio fieret, si de cætero copia Librorum prohibitorum ita frequens & obvia foret? Consequens est, quod, sive omnes, sive una ex prædictis actionibus prohibitioni expresse insertæ sint, obligatio nobis inde veniat, omnes omitendi.

COROL. Exinde legitimè inferretur, quod, si Librorum omnium sine approbatione Ordinarii, sine Nomine Auctoris vero, sine denominatione loci, impressio vetita sit (^a) eorum lectio-
nem &c. pariter teneamur omittere, atque hoc modo usu scri-
ptorum in suo genere perfectissimorum lèpè carere; verūm quam
justa de cætero videtur hæc illatio, adeò infirma est; nam dispo-
sitiones mox ante Litt. (^a) citate meræ Instructiones, non stric-
tae Leges sunt. Sed hoc etiam supposito, praxis continua Legi
contraria, inventio, venditio & lectio similium Librorum impun-
ita de tacito Superiorum, cui hæc ignota esse non possunt, con-
fensus super facta Legum suppositarum abrogatione nos convin-
cunt.

SCHOL. Si Superior certis Bibliopolis impressionem aut ven-
ditionem Libri aut directè aut indirectè (id est alteri aut pluribus
O Pri-

(a) Vid. Reg. X. Indicis Trid. & Observ. Alexand. VII. ad Reg. X. &
Instruct. Clem. VIII. de impress. Libr. &c.

Privilegium imprimendi aut vendendi exclusivum concedendo prohibeat, exinde utique cæteras prædictas actiones prohibitas esse non sequitur; sed quis non videt aliam hic rationem, alium finem datæ Legis esse? De hac ergo pland sermonem non esse oppidò patet,

§. CXI.

PROPOSITIO VI. Prohibitiones Librorum certæ ætatis aut conditionis hominibus factæ, nonnisi particularem pro iis obligationem producunt, qui in ea ætate & conditione constituti sunt, Vid. §. CVIII. N. 2.

Cùm enim obligatio correlativa legis sit, major esse non potest, quām Legislator exigat; quòd autem plus non intenderit, ac obligationem particularem, ex eo manifestum est, quod legem ad certam conditionem & ætatem restrinxerit. Adhac ratio, quæ pro certa ætate & conditione valet, v. g. quòd imbecillis aut iis Libris intelligendis incapax sit, non ad omnes se extendit, adeoque nec pro omnibus obligatio orta est.

COROL. Libri ergo nimis sublimes de Religione Catechumenis, Libri quidam Anatomici, veterum Poëtarum &c. juvenibus prohibiti, pro cæteris prohibiti esse non creduntur.

§. CXII.

PROPOSITIO VII. Prohibitiones Librorum propter certas circumstantias accidentales temporis, Personarum, cum conditione factæ, obligationem tantum temporariam producunt. Vid. §. CVIII. N. 3.

Hoc

Hoc ipso enim, quod haec circumstantiae tantum accidentales sint, facilimè mutantur, adeoque tantum temporariae sunt ex natura sua; supposita autem semel hac mutatione ratio prohibitionis cessat, utpote qua in illis circumstantiis unicè constituit. Vid. §. LXVI.-LXVIII. Cum igitur cessante ratione legis lex ipsa cessaet, & ubi nulla lex, ibi nullus sit legis effectus sive obligatio, consequens est, hanc ultra se non extendere, nisi quarum & ipsæ circumstantiæ prædictæ, id est ad tempus, quod erat demonstrandum.

COROL. 1. Prohibitiones ergo Librorum juvenibus, aut certæ tantum ætati, certæ conditionis hominibus factæ, vid. Prop. præced. etiam tantum usque eò effectum habent, usque dum ætas maturescat, & conditio mufetur.

COROL. 2. Libri sub conditione, donec corrigantur, prohibiti, facta Correptione hoc ipso liberi usus fiunt.

COROL. 3. Libri ergo olim propter opiniones adhuc dubias v. g. de motu terræ, de antipodis &c. prohibiti, hodie libere legi possunt.

COROL. 4. Lectio sacrae Scripturæ ergo etiam in locis, ubi Regula IV. Indicis in pleno vigore est, iis. qui studiis Theologie se addixerunt, planè permissa esse debet &c.

§. CXIII.

PROPOSITIO VIII. Omnes prohibitiones Librorum respectu nostri validæ sub culpa, & sub poena vel expressè adjecta vel arbitrary obligant.

Prima pars hujus Propositionis, in quantum de Libris Religionem concérnentibus sermo est, vix controvertitur. De profanis igitur, cùm hi à Superiore sæculari prohibeantur, dubium, si quod esse potest, movetur; interim cùm ratio omnium eadem sit, in genere sic demonstrari potest. Tenemur obediare Præpositis nostris justis præcipientibus sine ulla exceptione, & quidem non tantum propter iram, sed etiam propter conscientiam, vid. Epist. ad Rom. c. 13. Si igitur Præpositi nostri quid disponant circa Libros, propter conscientiam iis obdire tenemur, dummodo justè de iis disponant; sed eos justè disponere posse, cùm nobis eorum usum hinc inde prohibeant, jam supra ostensum est in Sectione 2da, nec ostendi potest in legibus supra recensitis, in quantum nostræ sunt, justitiam esse violatam, hinc consequens est, nos ad earum observationem etiam sub culpa obligari,

Alterius partis veritas, si pœna in prohibitione adjecta sit per se elucescit; sicut enim obligatio simpliciter correlativa legis est, vid. §. XCV. ita etiam est secundum quamlibet ejus partem; hinc si in ea comminatio pœnæ facta sit, nisi eam incurrire velimus, legi non contravenire necesse est, id est, sub pœna ad ejus observationem obligamur; si autem pœna adjecta non sit, præterea Legislator manus sibi ligari minimè voluit: Conditio cui libet legi (& unde prohibitiones Librorum exciperentur?) tacitè imbibita est, quòd per media proportionata ejus executio facilitari possit, & is, qui legi inobediens est, per pœnam arbitrio Legislator id retinuerit determinandum, perinde est; semper igitur pœnam timere debent inobedientes Librorum pro-

prohibitionibus: sed quid est hoc aliud, nisi sub poena arbitria iis obligantur.

COROL. Vi legum ergo supra recensitarum, si à Superiore Ecclesiastico latæ sint, subinde etiam sub excommunicatione ipso factō incurrenda, ita ut ejus remissio solum Papæ reservata sit, omnibus fidelibus certas Librorum species prohibitas esse, dubio caret. Vid. §. XL. & XLV. Supposito tamen semper, prohibitions, quibus talis pœna adjecta est, revera nostras esse. Vid. §. XCIVIII. Huc de Bulla Cœnæ Domini &c. hæc intelligenda non sunt, nec de Catalogo Pauli IV. &c. vid. §. LXXXIV. Litt. (d) Nro 3. & annotatio ejus. Hæ leges enim non sunt Germanorum: quid cæteris, de hoc ipsi judicent.

§. CXIV.

Quam incerta hinc inde obligationis nostræ circa Libros positivè prohibitos acquisitione est, tam expedita videntur ea, quæ ejus amissionem concernunt; quæ enim de amissione obligationis in genere vera sunt, etiam de hac obligatione obtinent, si pauca excipias, quæ facile consequentur, cum priùs generalia ad objectum meum applicavero.

§. CXV.

Amittere obligationem dicitur is, qui hactenus obligatus erat, & imposterum obligatus esse definit, hinc ille obligationem suam circa Libros prohibitos amittit, cui actionem, quam hactenus omittere debuit, nunc iterum committere licitum est.



§. CXVI.

Amissio obligationis in genere sit casu quodam, vel voluntate ejus, qui eam imponendi & sic etiam solvendi jus habet. Hæc si ad prohibitions Librorum applicentur, verum erit, obligationem inde resultantem amitti immo implemento conditionis prohibitioni annexæ, 2dò mutatione circumstantiarum, 3tio cessante ratione totali prohibitionis; 4tò revocatione prohibitionis expressâ, 5tò consuetudinis prohibitioni contrariæ legitimâ introductione; 6tò dispensatione; cùm enim omnes hic accumulatae veritates in genere indubitate sint, cur de prohibitionibus Librorum aliud dicetur, ratione speciali circa eas non apparente?

COROL. 1. Libri igitur prohibiti, usque dum corrigantur aut expurgentur, factâ correctione aut expurgatione non tantum legi, sed & cætera actiones prohibitaæ reassumi possunt; conditio enim, à qua obligatio dependebat, impleta.

COROL. 2. Si ætas, proter quam Libri prohibiti, relicta, si Conditio statûs mutata, si tempus præterlapsum, si suspicio exinanita, vid. §. LXV.-LXVIII. obligatio nostra circa illos amisæ est; circumstantiae enim mutatae.

COROL. 3. Lectio sacrae Scripturæ ergo etiam in lingua vernacula, etiam in locis, ubi Index Tridentini recepus, si non propterea, quod ratio prohibitionis cesser, saltem ob consuetudinem legi contrariæ introductam, permisla esse videtur. vi Cor. 4^o §. CIV.

COROL. 4. Cùm plures Libri ante Concil. Trident. jam prohibiti in subsequentibus Catalogis omissi, sicut tacita quedam le-

legum quarundam antecedentium fortè nimis rigorosarum revocatio facta sit, ex iis hodie nulla amplius obligatio extat.

SCHOL. Plura hic Corollaria cuilibet pro libitu deducenda relinquo.

§. CXVII.

Obligatio in genere cessare potest (1) respectu omnium, vel aliquorum, (2) vel ex parte, vel ex toto, (3) vel ad tempus, vel in perpetuum; & idipsum etiam verum est circa prohibitionem Librorum prout licentia tantum Imò legendi, vel etiam imprimendi, divulgandi &c. 2dò pro omnibus vel aliquibus tantum, 3tiò pro semper vel ad aliquos tantum annos reviviscit. Utrum autem hæc illave obligationis nostræ amissio facta sit, pro diversitate modi, quo amittitur, æstimandum est; hinc per implementum conditionis prohibitioni adjectæ, per revocationem expressam, aut consuetudinem contrariam non tantum (1) ex parte, sed ex toto, (2) non respectu aliquorum tantum, sed omnium, (3) non ad tempus, sed in perpetuum obligatio amittitur; (4) mutatione autem circumstantiarum, (5) desinente ratione legis, & (6) dispensatione sapè aliqui, ad tempus, & ex parte tantum in primam Libertatem restituuntur.

Etenim per tres modos priores lex tota tollitur, hinc cùm obligatio correlativa legis sit, etiam hæc tota tollitur. Quantum autem ad posteriores, circumstantiæ possunt mutari respectu certarum tantum personarum &c. Ratio Legis cessare potest respectu unius alteriusve, hòcque in ordine ad lectiones; & di-

spen-

spensatio, quæ ex natura sua aliquibus tantum datur, duratione negotii, propter quod conceditur, ordinariè definita est.

SCHOL. Diffusius hæc demonstrare inutile foret, præcipue quoad Numerum 1. 2. 3. 4. quoad Numerum 5. & 6. autem quædam Specialia observanda sunt, hinc sit

§. CXVIII.

Ratio prohibitionis Librorum factæ cessare dicitur, si motivæ perfectionis nostræ impedienda, vid. §. XLV. & seqq. adesse desinant. Utū jam verum sit, obligationem cessare cestantiibus prohibitionum motivis, cautè tamen in hoc casu procedendum est, ne ipsi nos seducamus; etenim ex amore proprio & naturali quadam præsumptione facilimè decipimur, dum ponderando vires intellectus nostri, factosque in scientiis progressus, & nescio quā singularem in omni bono soliditatem, heroës nos esse, cunctisque periculis mali securè obviare posse confidimus, sique penes nos prohibitionis rationem cessare etiam respectu eorum Librorum existimus, quorum tenorem nequidem noscimus; hinc proprio desuper judicio fidere valde periculum est: Sic sapè prohibitio maximè rationabilis privata auctoritate à plurimis imaginario Jure exemptionis infringi saltem accidere posset. Hinc potius Judicia Virorum prudentium desuper exquirenda sunt, ac in Casu dubio ad Dispensationem con fugiendum.

SCHOL. Societas supra §. XCXI. vi Regulæ V. in negotio Librorum instituendæ non tantum ad naturam Libri, sed & personæ

sonæ à prohibitione eximendæ vires dimetiendas aptissima erit, cùmque ea auctoritate publicâ munita sit, interpretatio legis quodammodo authenticæ fieri poterit.

§. CXIX.

Dispensatio, quæ circa prohibitionem Librorum datur, est permisso Lectionis, alteriusve actionis prohibitæ iterum committendæ in casu singulari facta. Hæc permisso generalis esse potest, vel restricta, prout circa omnes Libros prohibitos alicui dispensatio datur, vel aliquos: eaque vel ad tempus, vel in perpetuum durat.

§. CXX.

Et si prohibitio semel justè facta non facilè iterum tollenda sit, quamdiu ratio legis manet, circa Librorum prohibitions tamen expedit subinde eam in casibus singularibus tollere, id est dispensare in iis, si non generaliter, saltem cum restrictione, si non in perpetuum, saltem ad tempus; attamen cautè procedendum.

Prima pars asserti multiplici ratione fundatur; si enim aliqui debeant constitui, quorum officium sit, damnum per Libros timendum à cæteris avertere, necesse est, ut ii naturam eorum cognoscant; quomodo autem cognoscent, nisi legere saltem iis licitum sit; si non pauci refutandis erroribus & hæresibus in Religione se applicent, necesse est, ut sciant adæquatè adversariorum suorum principia, asserta & ratiocinia, quæ cùm non nisi ex eorum scriptis ritè dijudicentur, consequens est, eos legi de-

P

be-

here; Si novæ & utiles subinde veritates detegantur, ac expōnuntur in Libris ex alio capite periculis, expedit eas extrahi, & cæteris communicari &c. hinc licet propterea lex prohibitiva omnino tollenda non sit, dispensandum tamen erit pro latitudine rationis dispensationem postulantis.

Altera pars ex eo patet, quod multi ex curiositate, aut eo tempore dispensari desiderent, ubi, bonum à malo discernendi vires adhuc deficiunt.

COROL. 1. Censoribus Librorum ergo & societati desuper constituendæ Licentia generalis danda erit, Libros in genere falso tem jam prohibitos legendi, retinendi, & iis, quorum interēst, communicandi.

COROL. 2. Iis, qui Theologiæ se applicant, quorundam falso tem Librorum hæreticorum &c. lectio permittenda esset ad tempus.

COROL. 3. De fine tamen hujus lectionis, & requisita in pertinente dispensationem scientiâ aut per Examen, aut aliunde constare debet.

SCHOL. Mirum est, quām inutilibus subinde adhuc hodie temporibus perdatur ineptiis, iis scilicet Quæstionibus theologiciis, circa quas vix ullus adhuc superest adversarius, dum interēa errores triumphant in universo, quos nequidem seriatim consideratione dignos aestimamus; aut si etiam contra eos studia dirigamus, finem non attingimus, alias, aut aliter falso tem hæreses invenimus, quām quæ gravantur, Monstra fingimus quæ non sunt, inimicis imaginariis Bella indicimus, & hæc omnia ex defectu, ipsos errorum fontes, quod est errantium, Libros inspiciendi.

§. CXXI.

§. CXXI.

Dispensatio cùm sit partialis sublatio legis, ab omnibus dari potest, à quibus lex lata est; hinc non tantùm Summo Pontifici, sed & Episcopis in suis Diœcesibus pro Libris Religionem concorrentibus, & Superiori sacerdotali super prohibitio-nes sacerdotalia concorrentes Jus dispensandi competit.]

§. CXXII.

Sufficere hæc possunt pro fine mihi proposito. Adjeceram hinc inde quædam magis particularia, sed ea consultiūs omissa judicavi postea: Intentionem aliam non habui, nisi ostendendi, Librorum prohibitionem in genere justam esse, & ex ea nobis obligationem venire, si facta sit. Utrum hic, an ille Liber particularis prohibendus, aut justè prohibitus sit, meum non est in specie determinare. Plures inferui definitiones & veritates generaliores, quas ex aliis jam præsupponere debuissim, sed timui, ne saltē aliquibus hujus scripti Lectoribus inintelligibilis appareret. Cæterū si difficultatem, quam in hujus Materiæ expositione sensi, prævidissim, fortè planè ab ea abstinuisse. Interim sufficienter consolabor, si alteri occasione dedi, hanc materiam pro dignitate sua feliciter revidendi, & exponendi

S A T I S.

P 2

COROL.



COROLLARIA
EX
JURISPRUDENTIA
UNIVERSA.

I. EX JURISPRUDENTIA NATURALI,

A. Privata

1. *Homo privatus, sive in-sive extra societatem consideretur, certa jura, certas obligaciones habet, quæ quatenus naturales sunt, ex uno loco Principio derivari possunt: talia sunt jura, tales obligationes, quales esse ex natura & essentia rerum demonstrari potest.*
2. *Exinde recte deducitur, quoad officia hominis erga Deum, hunc credendum, ac cultu etiam externo adorandum, sicque infidelitatem, superstitionem & idololatriam legi naturali dispositam esse.*
3. *Quantum ad officia hominis erga se ipsum: authochiria, mutilatio qualiscunque sine necessitate, Duellum prohibita sunt; defensio autem pudicitiae, vitæ & honoris contra quemvis aggressorem per media proportionata licita, imò necessaria est.*
4. *Quoad officia hominis erga alios ex eodem fonte fluit, neminem in bonis per furtum, in Fama per injuriam, in corpore per occisionem, etiam*

etiam consentiente aliquo, sive violatione legis naturalis laedi posse.

5. Translationem Dominii per præscriptionem fieri posse, in rerum natura fundatum est.
6. Res quidem naturaliter præsumuntur esse liberæ, attamen servitutes naturales subinde dantur.
7. Introducēto rerum Dominio Testamenti factio & successio ab intestato simul introducta sunt.
8. Pacta inter cives etiam hostibus, hæreticis & infidelibus servanda sunt, nisi forte metu iustè incusso inita.
9. Paœta successoria, commissoria, leonina, Jure Naturæ invalida non sunt.
10. Læsiones non tantum ultra dimidium, sed etiam minores, Juri Naturæ repugnant, quamvis paœta exinde nulla non reddantur.

B. Publica

1. Prima & summa civitatum lex est salus publica, ad quam omnia ejus membra etiam neglecta utilitate privatâ pro viribus tenentur concurrere.
2. In Regnis polyarchicis summum Imperium per votorum pluralitatem administrandum.
2. In Statibus electivis populus aliam Regiminis formam introducere potest mortuo Superiore; viventem autem deibronisare non potest.
4. Superiori Civitatis competit Dominium altum in bona privatorum; attamen ea, quæ salutem publicam non promovent, libera subditis relinquenda sunt.

5. *Leges fundamentales Civitatis à Superiore sole nec abrogari nec mutari possunt.*
6. *Inter Regalia Imperanti reservata computari Jus venandi Juris Naturæ principio non refragatur.*
7. *Imperans facultatem puniendi delinquentes pena mortis pro gravitate delicti, & jus aggravandi habet.*
8. *Cives Reipublicæ ad arma capeſſanda cogi possunt.*
9. *Singuli cives pro lubitu è Societate exire non possunt; Superior autem eos transplantandi jus habet.*
10. *Omnis cives uti libero consensu in Societatem iverunt, ita se separare iterum possent.*

C. Gentium

1. *Protestatio unius gentis contra constitutionem Superioris ab altero Gente factam injusta est.*
2. *Jus albinagii non jus detractus legi Gentium naturali repugnat.*
3. *Conscriptio militum in Territorio Gentis alienæ illicita est.*
4. *Præscriptio inter Gentes liberas obtinere potest.*
5. *Jus retorsionis, uti & jus bellum tam offensivum quam defensivum competit Gentibus etiam Christianis, si aliter salutem suam consequi non possint.*
6. *Sola tamen ratio æquilibrii servandi iusta belli indicendi causa non est.*

II. Ex

III. EX JURISPRUDENTIA POSITIVA.

A. Ecclesiastica

a. Publica

1. Ecclesiæ Regimen ex institutione Christi Monarchicum Aristocratiæ temperatum est.
2. Summo Pontifici Jura quædam specialia ceteris Ecclesiæ Antistitibus non communia competunt, hinc non tantum primatum honoris, sed & Jurisdictionis habet.
3. Si Papa velit potestatem suam legislativam cum effectu ad totam Ecclesiam exercere, promulgatio legum non tantum Romæ fieri debet.
4. In promulgatione Legum Ecclesiasticarum placetum Regium requiri, iniquum non est.
5. Episcopi Summo Pontifici subordinati suam Jurisdictionem immediatè à Deo habent, hinc potestas eorum primigenia per exemptiones & reservationes restringi non debet, mero ex arbitrio.
6. Quæ in Concordatis Nat. Germ. disposita sunt, per Summum Pontificem nec abrogari nec mutari possunt.
7. In Inst. P. W. etiam ea, quæ circa Religionem ibi disposita, suum valorem habent: quamvis protestatio S. P. suo non destituatur effectu.
8. Jurisdictionis Episcoporum Germanicæ respectu subditorum Protestantium quidem suspensa est, sed non respectu Catholicorum sub Dominio territoriali Catholico.

9. Etiam

9. *Etiam Dominus territorialis catholicus Jurisdictionem Ecclesiasticam in subditos Protestantes exercere potest.*
10. *Etsi subditis liberum Religionis Exercitium, quod possederunt in Anno normali, relinquendum sit, Ius introducendi simultaneum etiam publicum, dummodo innoxium, Dominis territorialibus ademptum non est.*
11. *In Negotiis Religionem vel directe vel indirecte concernentibus pluralitas suffragiorum non obtinet; votum commune tamen Statuum A. C. additorum secundum eorum majora in vim conclusi adornatum ordinico initiali, legibus & formae Imperii adversatur.*
12. *Causae feudales feudorum Ecclesiasticorum Privilegio Fori ecclesiastici in Germania non gaudent.*
13. *Excommunicationes in Reges & Principes non nisi sobrie & rarissime ferendae sunt.*

b. Privata

1. *Clerici hodie post erectionem beneficiorum reddituum superfluorum beneficialium veri Domini sunt.*
2. *In Testamentis ad pias causas nullae solennitates requiruntur.*
3. *Ius Decimarum extraneo competens contra Parochum se non extendit ad Novalia.*
4. *Pensio resignanti Beneficium justa ex causa assignari potest.*
5. *Re-*

5. *Resignationes in favore nec ex natura sua simoniacæ nec semper illicitæ sunt.*
6. *Consuetudo non petendi Dispensationem super pluralitate Beneficiorum in Germania non est penitus improbanda.*
7. *Matrimonia coram Ministro Protestantico contracta etiam à Catholicis tanquam valida sustinentur, dummodo contrahentes quoad actus communes ejus parochiae subjeci fuerint.*
8. *Clerici seculares in Germania regulariter capaces sunt successionis in Feudis propriis & gentiliis.*
9. *Jus Asylū delinquentibus adhuc hodie tribuitur; attamen circa crimina in Constitutionibus Gregorii XIV. & Benedicti XIII. non excepta, & pro diversa locorum observantia.*
10. *Immunitas fori Clericorum in causis criminalibus est juris merè humani.*

B. Sæculari:

Ia. Publica Germaniae:

1. *Imperator licet Jura quedam sibi soli reservata habeat, summum Imperium tamen quoad maximam partem nonnisi cum suffragiis Sacrum Imperii exercere potest.*
2. *Constitutio Imperatoris à solis Electoribus, Regis Römani autem nonnisi cum consensu Principum fieri potest.*
3. *In Negotiis Imperii Religionem non concernentibus itio in partes locum non habet.*

Q.

4. Sta-



4. Statui contra Statum vi & armis jus suum per sequi non licet.
5. Bello toti Imperio indicto jus Neutralitatis Statibus non competit.
6. Imperator jus non habet aliquem nobilitandi ita, ut statim ad Ecclesias Cathedrales & Ordines Equestris admitti possit.
7. In causis feudalibus regalibus solus Imperator Judex est sublatu parium curiae judicio.
8. Vicarii Imperii Feudis Imperii principalibus, & quae Vexillo dari solent, investire neminem possunt,
9. Pœnæ Banni in Status Imperii decerni non possunt nisi in Comitiis.
- b. privata
1. Pacta successoria licet Jure Romano prohibita, Jure Germanico etiam inter privatos licita sunt.
2. Pacta nuda & adjecta Germanis non tantum obligationem naturalem sed & civilem producunt.
3. Emptor post emptionem - venditionem, antequam res tradita, omne periculum & commodum rei venditæ habet, modò sit perfecta emptio - venditio.
4. Transactio ob læsionem etiam ultra dimidium rescindi non potest.
5. Fœminæ Privilegio Senatus- Consulti Vellejani renunciare licet.
6. Do-

6. *Donatio inter vivos ob supervenientes Liberos revocari potest.*
7. *Legitimatus per subsequens Matrimonium primogenito ex thoro legitimo jus suum quæsum non adimit circa successionem in feudo.*
8. *Nati ex Matrimonio ad Morganaticam in Feudis non succedunt.*
9. *Delinquenti ad se defendendum Acta extradi debent.*



